




OD Ha.


F E Hart  
mann

LOCI COMMUNES  
THEOLOGICI  
PERPETVIS  
SIMILITVDI-  
NIBVS ILLV-  
STRATI  
*Per*  
IOHANNEM HENRICVM  
ALSTEDIVM.



FRANCOFVRTI,  
Sumptibus CONRADI EIFRIDI,  
Anno M DC XXX.

1639



IOH. HENRICVS ALSTEDIVS  
LECTORI BENEVOLO S.

**M**anipulus hic similitudinum theologicarum ante annum erat maturus ad prelum : sed harpyiae & furiae viales ( quæ barbariem plus quam Turcicam intulerunt , proh dolor , Germaniæ nostræ ) dissiparunt membra huius corpusculi . Ea denuo reposuimus in suum locum , & sub discessum nostrum in Transsylvania reliquimus typographo . Tu , mi lector , hoc labore nostro utere fruere , & breui ex Transsylvania , si Deus voluerit ut ibi talentum nostrum fœniri exponamus , à nobis expectare refutationē antagonistæ Ienensis , & censurā dramatis Genevensis . quo mi-

A 2 nus

nus enim hoc labore defungi potuerimus , effecit immensus ille labor , quem oportuit impendere novae editioni Encyclopædiae , ut nihil dicam de itinere Transsylvaniae , quod perit molestiam non unam . Francofurti Nundinis Autumnalibus ,

An. 1629.



LOCI

I



LOCI COMMUNES  
THEOLOGICI PERPETVIS  
SIMILITUDINEBUS ILLV-  
strati.

INTRODVCTIO.

**M**ethodus doctrinæ alia est simplex, alia  
composita.

2. Methodus simplex adhibet loca inventionis logicæ singula. Hinc quot sunt loca inventionis, tot sunt methodi simplices. Est enim verbi gr. methodus causæ efficientis, materiae, effecti, subiecti, definitionis, &c.

3. Methodus composita est, quæ duo, tria, quatuor, &c. vel etiam omnia inventionis loca coniunctim adhibet.

4. Inter methodos simplices excellit methodus definitionis, divisionis & comparationis similiūm. Quam postremam methodum nos cum Deo adhibebimus in hac tractatione locorum communium theologicorum. Hæc enim methodus præterquam quod est illustris, popularis, & luculenta, clarissimis etiam scriptoribus creberrimè fuit usurpata, adeò quidem ut nonnulli iudicaverint, comparationem similiūm esse satis ad methodicam cuiuslibet artis institutionem, quod methodus similiūm familiaris fuit Ser-

2 Ioh. Henr. Alsted.

vatori nostro Jesu Christo , ut ex parabolis  
Evangelicis videre est.

5. Est itaq; methodus similium valde illu-  
stris, facilis & excellens : cuius in sacrosan-  
cta theologia attendere oportet modum &  
usum.

6. Modus est ut similitudines theologicae  
inveniantur & iudicentur regulis tum logi-  
cis tum theologiciis.

*Regula logica sunt numero tres.*

1. Similitudo non sit ridicula.

2. Similitudo ne latius extendatur, quam  
 fert rei proprietas, & scopus differentis.

3. Similitudo non tantum illustrat , sed  
 etiam probat , si maneatur in tertio compa-  
 rationis termino.

*Regula theologica sunt due.*

1. In dogmatibus religionis non oportet  
 ludere similitudinibus.

2. Dogmata fidei etsi non exstribuntur  
 ex similitudinibus , tamen ex illis optimè  
 intelliguntur.

7. Usus huius methodi est, ut similitudines  
 theologicae non tantum pro concione ad-  
 ferantur in medium, sed etiam in sublimiori-  
 bus disputationibus urgeantur. Tametsi  
 enim similitudo est instrumentum logicum  
 maximè accommodatum ad exotericum  
 dicendi genus , non tamen ideo nullus est  
 ipsius usus in acroamaticis.

LO-

LOCUS I. DE COGNITIONE  
DEI.

*Similitudo prima.*

**T**O TA solidæ nostræ sapientiæ summa duabus constat partibus , cognitione Dei, & nostri. Oportet autem à prima illa incipere : quia si velimus à posteriori incipere, nobis accidet quod oculo , qui quamdiu ipsi nihil obversatur nisi color niger, candidissimum esse iudicat quod tamen est sub obscura albedine. Quid? sicut, quamdiu terram intuemur perspicacissima oculorum acie videmur nobis prædicti ; at ubi in solem suspicimus hebescit illa nostra acies ; ita quamdiu nos ipsos asspicimus , tantum non semidei nobis videbimur ; at si incipiamus à contemplatione Dei, mirifice nobis incipi-  
mus displicere.

2. Deus cum sit mera lux, nō potest cognosci, nisi per lumen. Id autem est triplex: puta lumen naturæ, gratiæ, & gloriæ. Primum lumen est instar crepusculi, tertium est instar luminis meridiani, secundum est velut lux interiecta inter crepusculum & meridiem.

3. Cognitio Dei in hac vita ordinariè petitur ex libro naturæ & scripturæ Psa. 19. Vtrumque est à posteriori: quia Deus facietenus nō potest à nobis cognosci ordinariè , sed tan-  
tum tergotenus.

*Liber naturæ* est partim in homine , partim extra ipsum. *Liber naturæ* in homine est ipsa conscientia, in qua tanquam in libro exaravit Deus stylo quasi adamantino certas notitias directrices veri & falsi , boni & mali, quæ nunquam deleri possunt, Rom. 1. & 2. *liber naturæ* extra hominem est mundus hic aſſpectabilis; de quo solitus est dicere *Antonius Eremita* , se habere magnum Volumen quod conſtet tribus foliis, nempe cælo, aqua, & terra, & totidem literis verè hieroglyphicis , nempe in colis cæli, terræ & aquæ. Alii mundum hunc aſſpectabilem appellant *scalam naturæ* , in qua singulæ creaturæ fungantur vicem professorum, magistrorum, præconum, cōcionatorum, poſtiliarum, &c. ſunt etiam qui creaturas vocant ſpecula bonitatis & maiestatis Dei. Denique ſunt qui dicunt: quamlibet creaturem eſſe veluti rivulum limpidum, cuius ductum qui ſequatur, non poſſit non pervenire ad fontem. *Liber scriptura* legitur in Schola gratia & verè eſt inauratus, cum liber naturæ ſit inſtar libri vulgariter compaſti.

4. *Schola naturæ* eſt academia ſive universitas in qua homo quilibet ratione preditus eſt discipulus, & q̄libet creatura, maxima, medioxima, minima, eſt inſtar p̄ceptoris , cuius triplex eſt vox: accipe o homo beneficium à Deo benigniſſimo , redde officiū Deo ſapientiſſimo, fuge ſupplicium Dei poten-

*Loci communes Theologici.*

5

tentissimi. *Schola gratia* est Academia seu Vniversitas, in qua quilibet homo vocatus est discipulus, & doct̄or; alius est principalis puta spiritus S., alius ministerialis, ut Prophetæ, Apostoli, pastores.

s. Modus proficiendi in Schola naturæ est duplex. *Principio* enim quilibet homo sanamente prædictus potest ex creaturarum intuitu intelligere, quod sit Deus, quodq; ille sit colendus. *Deinde* institutio humana potest multum, & prodest hanc ad rem. Quare non sunt insuperhabenda, quæ apud philosophos gentiles occurunt hanc in sententiam. Huc pertinet quod patres præclarè monent de concordia philosophiæ & theologiæ. Si, inquiunt, Hagar & Sara, Ismael & Isaac, concordes sint, manebunt in domo Abrahæ: sin autem Hagar & Ismael insolefcant, rixasque & iurgia excitent, domo eiciantur, & exulent. Sic philosophia hactenus probanda est, quoad veritati & pietati consenserit, atque inservierit. Sin autem aliquid divinis decretis alienum attulerit reicitur. Quare sicut populus Israeliticus usus est opibus & spoliis Ægyptiorum ad extenuendum tabernaculum: ita nos utamur præclaris sententiis Ethnicorum, idq; more Apostoli Pauli. Rursus sicut Israelitæ fæminis gentilibus in bello captis vestes detrahebant & capillos atque ungues ressecabant:

A

5

ita

• Ioh. Henr. Alsted.

ita nos recte dicta ab Ethnicis distinguamus  
ab illorum erroribus.

6. Quælibet creatura est liber doctrinæ  
sanæ, & speculum vitæ sanctæ. Hinc est,  
quod prophetæ & Salvator noster nos able-  
gant ad corvum, bovem, asinum, cico-  
niam, formicam, serpentes, lilia agri, &c.  
ut ab iis discamus non solum beneficia Dei,  
sed etiam officia nostra. Si quis verò nolit uti  
creaturis doctoribus, necessum habet illis  
uti tortoribus.

7. Hominis cor est veluti ager, inquæ Deus  
proiecit semen religionis. Istud autem se-  
men in aliis suffocatur, in aliis recta cura &  
cultura subigitur. Suffocatur inquam par-  
tim spinis divitiarum, partim aquis volupta-  
tum huius mundi, partim denique frigore  
ac æstutentationum. Subigitur autem cul-  
tura vel humana, ut in Cicerone, Seneca,  
&c. vel Divina, ut in electis.

8. Scala cognitionis Dei perficitur septem  
gradibus, è quibus duo sunt primarii, vide-  
licet cognitio Dei & redemptoris. Cognitio  
Dei creatoris est 1. naturaliter insita. 2. Ac-  
quisita per institutionem humanam. 3. Ac-  
quisita per institutionem Divinam. 4. Sine  
affetu pietatis (scil. Ethicæ). 5. Cognitio Dei  
creatoris & redemptoris sine filiali fidu-  
cia. 7. Cognitio Dei creatoris & redemptoris  
cum filiali fiducia. Atq; hic postremus gradus  
est colophone, & salutaris: ita ut frustra sint,  
qui

q̄ rectū libri & luminis naturæ usum in Ethnicis opinati fuerunt esse satis ad salutem æternā. Verum est, nobiliores Ethnicorū fuerunt insignitè prudentes, &c. Sed & hoc verum est, sicut vinū generosum in vitro soridato, & saccarum in pixide intoxicata nō placet homini, ita virtutes morales in hominibus non regenitis non placent Deo.

LOCVS II. DE SACRA SCRIP-

PTVRA.

I.

**S**criptura sacra est canon Galat. 6. vers. 16: Philip. 3. v. 16. hoc est, est regula & norma fidei vitæ & vocationis nostræ. Quemadmodum enim architecti, qui exstruunt ædificia ad canonem, hoc est, normam, perpendicularum, libellam, amissum & regulam exigunt, ut singulæ partes iusta proportione inter se ac symmetria cohæreant: ita Deus scripturam nobis assignavit, seu canonem, quo ritè & eruditè ædificemus domum fidei, spei & charitatis, adeoque etiam magnam illam domum Ecclesiam. Hæc vero regula non est lesbia, id est, plumbea uti concedunt Papistæ (unde scripturam comparant cum naso cereo) sed est regula Polycleti & norma Crytolai, hoc est, omnibus numeris absoluta, omnique exceptione maior.

2. Scriptura est instar fontis, qui irrigat Ecclesiam tanquam hortum, in quo Deus est Dominus, pastores hortulanii, auditores

A. 6

plantæ.

plantæ. Cæterum fons iste duos fundit fluvios, è quibus alter suppeditat aquas amaras legis, alter aquas dulces Evangelii. Oportet itaq; aquas legis amaras temperare & edulcare aquis Evangelii.

3. Scriptura est cibus mundus, ita modificatus, ut parvuli habeant lac, & perfectiores cibum solidum. *Deinde* hic cib⁹ ita à Deo est modificatus, ut locis apertioribus fami occurrat, difficilioribus fastidium levet. *Tertio* sicut munda animalia cibum ruminant: ita pii christiani scriptures repetunt. *Quo* & pertinet ista similitudo: sicut aromata, quo diutius & accuratius masticantur, eò magis exerunt vim suam: ita

*Biblia lecta placent, decies repetita placerebunt.*

4. Scriptura est index & iudex. Est index, hoc est, velut herma in bivio constitutis, que monstrat viam regiam. Est iudex, hoc est, velut archivum, ad quod relegantur partes dissidentes, ut controversiam suam peremptoriè ibi finiant. Scriptura inquam est index veri sensus dogmatum religionis, itemque omnium controversiarum Ecclesiasticarum. Nam Spiritus sanctus in scripturis nobis loquitur. Is autem summo merito est summus iudex, ideoque inculpabilis in negotio religionis. Quod attinet ad fideles sive singulos ( eosque tum auditores tum patres) sive in concilio congregatos, illi sunt iudi-

*Loci communes Theologici.* ,  
iudices controversiarum , sed inferiores.  
Confer A&tor.15.v.28. I. Cor.10.v.15.

5. Ut Cantharus in oprobalfamo , odora-  
tissimo alioqui unguéto , statim moritur: Ita  
indocti instabiles , hæretici , schismatici , ver-  
bo Dei non animantur , sed exanimantur.  
Sicut itaque unguentum amarazinum ho-  
mini est medicamentum sui venenum , ita  
verbum Dei piis est odor vitæ , impiis odor  
mortis. Item sicut apicula , & araneus , ex uno  
eodemque flore fugunt mel & venenum:  
Ita pii & impii ex eodem verbo Dei eliciunt  
melfidei & pietatis , item felimpietatis &  
infidelitatis.

6. Scriptura est instar pharmacopoli seu  
myrothecii , in quo varia invenire est un-  
guenta & medicamenta pro variis morbis.  
Quid? paracæa animæ indivino hoc myro-  
poléo se offert.

7. Scriptura est hortus , in quo omnis ge-  
neris flores iiq; longè fragrantissimi occur-  
runt. Nominatim verò est velut paradisus ,  
in quo lex est tanquam arbor scientiæ boni  
& mali : Evangelium tanquam arbor vitæ.

8. Scriptura dividitur in libros veteris &  
N.T. Vetus autem testamentum est veluti  
luna , novum tanquam sol , quia ut luna lu-  
mensuum mutuatur à sole , ita vetus Test. à  
novo.

9. Scriptura est velut Epistola Dei omni-  
potentis ad hominem. Est diploma Regis re-

A 7 gum:

gum: Est testamentum de ultima Dei voluntate: Est Codex summi imperatoris: Est armamentarium Catholicum, ex quo de promere est arma spiritualis defensionis & offensionis.

10. Sacræ literæ sunt pandæcta Divinæ, quia nobis ob oculos ponunt omnia credenda & facienda.

11. Scriptura est instrumentū à Prophetis & Apostolis tanquam amanuensibus, actuariis & publicis iuratisq; Dei notariis solenniter conscriptum, & Ecclesiæ tanquam depositariæ & tabellioni demandatum.

12. Verbum Dei adeoq; scriptura est lucerna & lumen, Ps. 119. v. 105. Prov. 6. v. 23. Itaque clarum est & nobis prælucet ad vitam æternā. suis quoq; radiis ita coruscat, ut scriptura per scripturā explicari & p̄bari possit: Ut proinde hic circulus non sit vitiosus. Est item gladius, & is quidē anceps Eph. 6. v. 17. Apoc. 19. v. 15. Itaq; vibremus hunc gladium in omnes nostros hostes exemplo Christi Matth. 4. Est signis Jer. 5. v. 14. & 23. v. 29. quia consumit scorias & stipulas errorū & peccatorū, & purgat aurū, purgatq; gemmas, h.e. fidē spem & charitatē. Est malleus Jer. 23. v. 39. quia conterit petram superbię, & utiliter adhibetur ad ædificandū Ecclesiam. Est speculū. Cor. 3. v. 18. quia in ipso intuemur Deū. Est pluvia, imber, & ros Deut. 22. v. 2. Esa. 5. v. 10. & 11. quia facit, ut fructificet ager cordis nostri. Est semen Luc. 8. v. 11. & 1. Pet. 1. v. 23. quia

*Loci communes Theologici.*

ii

quia spargitur in corda electorum ibiq; subolescit & arborescit. Est clypeus Psal. 18. quia defendit nos aduersus tela ignita Diaboli. Est argentum defæcatum septies Psal. 12. v. 7. quia est purum, firmū & filiis Dei charū. Est margarita Matth. 7. v. 6: quia est bonum inæstimabile, & confortat cor. Est fons sapientiæ Syrachi 1. v. 10. quia ex illo derivatur solida sapientia. Est stimulus Eccl. 12. v. 13. quia pungit, excitat, & urget, atq; ita naturalem nostram socordiam excutit. Est clavis infixus, ibidem, quia fixos nos firmosque tenet in pietate. Denique est optimus consiliarius Psal. 119. v. 24. quia gubernat fidem & vitam nostram & consulit in rem animæ & corporis nostri.

13. Scriptura est fluvius in quo Elephas natat, & agnus peditat, requirit itaque humilem lectorem.

14. Scriptura est medica officina animæ, quia nō potest excogitari morb. spiritualis, q; non suum ibi habeat specificum remediu.

15. Sicut autographia sive originale invitæ communi est regula & norma apographi sive transumpti: eundem in modum scriptura sacra in lingua archetypa habet ultimā vim probandi.

16. Sicut sponsa retinens vel abiiciens pata dotalia, retinet vel amittit ius suum: Ita si Ecclesia retineat vel abiiciat tabulas fæde-

ris.

12                  *Ioh. Henr. Alsted.*

ris, hoc est, scripturam sacram, manet virgo  
& casta sponsa, vel fit meretrix.

17. Traditiones papistarū sunt velut cāuda  
vulpina, quæ affluitur homini, item nevus  
deformis in facie formosa, & denique instar  
Lazari ianiculi in veste holoserica.

18. Ut vespertiliones & noctuæ non pos-  
sunt ferre lumen solis: ita derisores superci-  
liosi & maleferiati non possunt intelligere  
scripturam, quæ est mera lux.

19. Scriptura sacra est veluti statera, ad  
quam appendere oportet aurum fidei, ut  
per illam exploretur. Est item lapis lydius,  
ad quem affricari oportet dogmata ut vera  
discernantur à falsis.

20. Utendum est scriptura sacra tanquam  
speculo, ut inde foeda corrigamus & pulchra  
conservemus, itemq; pulchriora faciamus.

21. Sicut omne aurum extra templum  
non erat sanctificatum: ita omnis sensus, qui  
fuerit extra scripturam, non est sensus.

22. Quod leges fundamentales sunt in Re-  
publica, schola vel familia; id sunt sacræ li-  
teræ in Ecclesia. Quare sicut illius solius, qui  
fundat Rempublicam, scholam, vel familiā,  
est constituere leges fundamentales, quas  
tanquam clinodium conservat Respublica,  
schola, vel familia: Ita solius Dei est consti-  
tuere canonem sacrarum literarum, quem  
Ecclesia tanquam fida capsaria debet custo-  
dire. Constitutus autem est iste canon sacer-

per

per partes , prout Ecclesia magis ac magis profecit. Nam canon Mosaicus per Mo-  
sen , propheticus per ipsos prophetas est  
constitutus: uterque approbatus est à Chri-  
sto : canon Apostolicus ab Evangelistis &  
Apostolis traditus est, viris Apostolicis & in-  
tegris Ecclesiis , novissime autem approba-  
tus à Johanne Evangelista.

23. Libri Apocryphi ad libros canonicos  
se habent , ut nodus hirundinis ad palatum,  
cui adhæret.

24. Elogia librorum V.T. insigniora hęc  
sunt: *Genesis* est clavis mundi , temporis &  
historiæ , item antiquitates antiquissimè:  
*Exodus* & *Deuteronomion* iuris prudentia  
Mosaica: *Leviticus* Ephemerides sacræ: Nu-  
meri arithmeticæ sacra : *liber Iosua* polemi-  
ca sacra , & ars ducendi colonias: *liber Iudi-  
cum* , speculum magistratus Heroici & Ty-  
rannici: *liber Ruth* idea piæ viduæ: quatuor  
libri *Regum*, politica sacra : *libri Chronicorū*  
annales sacri: *liber Esdra* & *Nehemia* & ide re-  
formationis Ecclesiæ & Politix : *liber Iobi*  
schola lucis & crucis : *liber Psalmorum* foli-  
loquium animę, dulciloquium Davidis, par-  
va biblia , anatome conscientiæ , theatrum  
operum Dei, rosarium animæ, pelagus mar-  
gariferum : *Proverbia Salomonis* Ethica  
politica , & œconomica sacra : *Ecclesiastes*  
practica sacra de contemptu mundi: *Canti-  
cum canticorum* Epithalamium sacrum:

*Esaias*

14            Ioh. Henr. Alsted.

*Esaias claviger*, aquila & Evangelista inter Prophetas : *Ieremias speculum praefatis & exulis*: *Threni Ieremia gemitus columbae*: *Ezechiel auriga sacer*: *Prophetia Danielis Apocalypsis V.T.* Novem priores Prophetarum minores sunt fulmina Judæorum, Israelitarum, & gentium, vel singulorum, vel pluriū simul. *Hageus ergodioctes restorationis sacræ*: *Zacharias sol inter Prophetas minores*: deinde Malachias est limes veteris T.

25. Recensio librorum canoniconum est principium scripturæ galeatū, non quantū ad essentiam scripturæ, sed ratione notitiae nostræ.

26. Quando patres libros apocryphos appellant canonem Ecclesiasticum, oportet intelligere regulam lesbiam. Ceterum horum librorum elogia sunt ita: liber *Tobia* est tragicomœdia œconomica: liber *Judith* tragicomœdia polemica: liber *Baruch* & oratio *Mannassis* speculum penitentiæ: primus *Maccabiorum* tragicomœdia Ecclesiastica; secundus martyrologium sacrum: tertius speculum tyrannidis frustræ: liber *Sapientia*, encomium & compendium solidæ sapientiæ: *Ecclesiasticus*, compendium philosophiæ practicæ: *tertius Esdra* quodlibetum sacrum: quartus *Esdræ Apocalypsis* inter libros apocryphos: *Epistola Ieremia* fulmen idolatriæ: *Adiectiones ad Danielem* speculum constantiæ & pictura civitatis Dei & Diaboli: *adiectiones ad librum Esther*, speculum providentiæ Dei.

27. Elo-

27. Elogia insigniora librorum novi T. hæc sunt: quatuor Evangelia & acta Apostolorum sunt pentateuchus novi T. quatuor Evangelista sunt totidem tubæ , quarum clangor implet quatuor mundi cardines : Rursus historia quatuor Evangelistarum comparatur quadrigis , & currui triumphali , unde Christus toti fidelium populo conspicuus apparet , & cuius celeritate terrarum orbem perlustrat. Nominatim *Matthæus* est claviger inter Evangelistas. *Marcus* epitomator historiæ Evangelicæ: *Lucas* plenus commendator istius historiæ: *Iohannes aquila* & *cynicus* inter Evangelistas. Hieronymus tamē & alii doctores Ecclesiæ Evangelistas ab exordiis distinguunt: ita nempe ut Matthæi nota hieroglyphica sit *homo* , quia incipit à nativitate Christi hominis ; Marci *leo* , quia describit vocem rugientis indeserto; *Luca vietus* sive *bos* , quia incipit à sacerdotio Zachariae; *Johannis aquila* , quia incipit à sacramento Deitatis Christi. Alii hoc ita explicant , quod in homine humanitas , in leone regnam , in vitulo sacerdotium , in aquila asseensio Christi exprimatur. Porro acta Apostolorū sunt Chronica novi T. itemq; thesaurus historiæ Ecclesiastice: Epistola ad Romanos clavis scripturæ , clinodium Paulinum , & Catechismus Catholicus : Prior ad Corinthios est reformatio Apostolica : posterior Apologia Apostolica: Epistola ad Galatas

latas est compendium Epistolæ ad Romanos: ad Ephesios programma Apostolicum: ad Philippenses parænesis Apostolica: ad Coloffenses didæctica Apostolica: Prior ad Theffalonenses Theologia præctica: posterior theologia polemica: prior ad Timotheum pastorale sacrum: posterior, compendium & encomium *scriptura*: Epistola ad Titum, agenda, h. e. *Kirchenordnung*: ad Philemonem speculum lenitatis œconomicæ: Ad Hebreos commentarius enarrans Sacra menta Levitici: Epistola Jacobi Alpha betum aureum hominis christiani: prima Petri compendium christianismi: Secunda *πειθαρετης* & incentivum militis christiani: Prima Johannis speculum charitatis; secunda speculum piæ matronæ; tertia speculum hospitalitatis. Epistola Judæ est pictura verè Apellea pseudoprophetarum. Ad extremum Apocalypsij Johannis, est clavis claudens omne tempus, itemque prophetia ultima & Catholica.

---

### LOCVS III. DE DEO.

I.

**Q**uemadmodum solem sine sole non videmus, & lucis aspectum luci debemus: ita Deum sine Deo intelligere non possumus.

2. Sicut Moses & Josua Deo appropinquare, iubentur exuere calceamenta Exod. 3. Jof. 6.

Josui 6. ita nos , si velimus Deum cognoscere iuxta & colere , carnales nostros affectus & defectus , quoad eius quidem potest fieri deponamus .

3. Sicuti lux à nullo illustratur , sed se ostendit ipsa : ita Deus , qui nullis hominum operibus illustrari potest , Divina sua essen-  
tia se ipsum solus illustrat , omniaq; extra se .

4. Sicut sol quamvis sua vi pariter attin-  
gat omnes , tamen non ab omnibus simili-  
ter capit : ita Deus , qui ratione essentia  
sue omnibus adest præsens , non similiter  
ab omnibus cognoscitur .

5. Qui solem oculo retorto asspicere co-  
nuntur , se ipsos excæcant : ita scrutator ma-  
iestatis Divinæ opprimitur ab illa .

6. Quemadmodum specula evidentiora  
sunt & puriora , quam pupilla oculi : sic quo-  
que Deus est aliquid purius & splendidius  
optima animæ nostræ parte .

7. Deus in se ipso est  $\alpha$  &  $\omega$  : in mundo  
sicut author & rector : in Angelis beatis sic  
ut sapor & decor : in Ecclesia militante sicut  
paterfamilias in domo : in anima hominis  
credentis sicuti sponsus in thalamo : in ele-  
ctis ut adiutor & protector : in reprobis ut  
pavor & horror .

8. Deus est purus putus actus , id est , se  
habet tanquam lumen immobile , immuta-  
bile , semper lucens ; cuius quidem actus  
imago aliqua est in sole .

9. Deus

9. Deus nec acie mentis penetrari, nec oculis videri potest: interim tamen manibus veluti contrectatur, ob beneficia & iudicia sua in regno gratiae & potentiae.

10. Deus est circulus, cuius centrū est ubique, circumferentia nūsquam. Est circulus: quia caret principio & fine: eius centrum est ubiq;: quia ubi ubi Deus est, ibi totus est, tot inquā omnipotentia, totus iustitia, &c. eius circumferentia est nūsquam, quia essentia Dei nullis includi potest terminis: ita quoq; Deus totus cognoscitur, ratione centri sui, & totus ignoratur, ratione circumferentiae.

11. In scriptura sunt innumeræ similitudines, quibus natura Dei figuratur, p. *παραβολας* sextuplicem. Nam Deo tribuuntur 1. membra corporis humani, ut caput, oculi, os, brachium, &c. 2. Sensus humani; ut memoria, oblivio, visus, auditus, &c. 3. Affectus humani; ut pœnitentia, ira, zelotypia, &c. 4. Actiones humanæ; ut tentare, descendere, ridere, &c. 5. Affectiones humanæ; ut habitare, sedere in throno, habere scabellum pedum, esse amictum, &c. 6. Variarum creaturarum nomina, ut quando Deus dicitur esse umbra, ignis, lux, sol, rupes, merces, &c. De quibus omnibus tenenda est Maxima: *Deus cum creaturis comparatur in tertio perfectionis, non vero imperfectionis.*

12. Sicut in sole vis calefaciendi, exfiddandi, indurandi, resolvendi, rarefaciendi, &c. non

non differratione principii & subiecti, sed ratione obiecti: Sic attributa Dei non differunt ab essentia vel inter se, sed respectu effectorum & obiectorum, itaque distinguuntur non re, sed ratione, quæ habet fundamentum in collatione: quo etiam pertinet similitudo illa ab anima rationali, in qua facultas intelligendi, cogitandi, inveniendi, iudicandi, ratiocinandi, &c. est una eademque in uno eodemque intellectu. Recte itaque pronuntiant theologi classici: *Attributa Dei sunt in ipso per modum simplicis forma.*

13. Quemadmodum in semine arboris sunt radix, truncus, rami, &c. virtualiter: ita in Deo sunt omnes perfectiones creaturarum. Hoc tamen interest, quod semen est in ordine causæ materialis, Deus autem in ordine causæ efficientis, & illius quidē universalis.

14. Rabini omnipotentia Dei ita eleganter adumbrant: Deus habet quatuor claves, puta clavem cœli, inferni (adeoq; etiā sepulchri) terræ, & uteri sterilis. Haec tenus itaque omnipotentia Dei se extendit ad impossibilia, quæ videlicet sunt talia respectu nostre impotentiæ. Aliás Dei omnipotentia se non extendit ad impossibilia, q̄ nempe sunt talia vel sua natura, ut creare hominē, qui simul sit non homo, vel ex parte Dei, ut mentiri: Sicut enim scientia non dicitur nisi respectu scibiliū: ita neq; potentia nisi respectu possibiliū. Impossibilia itaq; non cadunt sub potentia, & si caderent impossibilia nō essent,

15. Quemadmodum sol radiis suis ferit loca etiam sordidissima, neq; tamen illis imiscetur, vel ab illis inficitur: ita Deus est ubique sua essentia, neque tamen rebus ullis miscetur, vel ab illis aliquid patitur.

16. Ut princeps maximè conspicuus est in sua regia: ita Deus etsi est ubique, suam tamen maiestatem in primis facit testamat in cælo.

17. Sicut anima rationalis est in toto corpore tota, & tota in singulis partib<sup>9</sup>: ita Deus est totus in toto mundo, & totus in singulis mundi partibus: neque tamen ideo Deus extenditur: quia omnia loca respectu Dei, nullam habent quantitatem. Etenim si terra respectu cæli est centrum: multò magis totus hic mundus respectu Dei erit nihilum.

18. Quemadmodum inspeculo infinitæ rerum imagines uno eodemq; tempore repræsentantur quam distinctissimè: ita ideae rerum bonarum sunt in Deo. Quid igitur mirum si decreta Dei sunt in Deo absque ultra ipsius compositione?

19. Sicut una & eadem res varios potest recipere modos absque ulla sui mutatione. Exempli causa, manus quando contrahitur & explicatur: & duobus hisce modis infinita producit opera (quod ipsum etiam in lingua hominis cernere est, quando infinitos sonos articulat, ut & in luce solis matutina, meridiana & vespertina observare licet: ) unum.

*Loci communes Theologici.*

21

unum idemq; Dei attributum variis modis  
potest se applicare rebus : Exempli gratia,  
intellectus Dei uno actu immediate intuiti-  
ve & per essentiam suam cognoscit univer-  
salia & singula, necessaria & conting-  
tia, mutabilia & immutabilia : Similiter vo-  
luntas Dei aliter & aliter se applicat rebus  
bonis & malis, iuxta regulam theologicam.

*Voluntatis Dei actio est triplex.* Una, qua  
Deus aliquid volendo vult, ut omnia bona: se-  
cunda, qua aliquid nolendo nō vult, ut quod  
nunquam futurum est: *tertia*, qua nolendo  
vult, & volendo non vult, ut peccata: q̄ Deus  
vult quatenus permittit, ordinat, determi-  
nat, exterminat, remittit, vel punit: non  
vult, quatenus neque efficit, neque probat.

20. *Quemadmodum pater familiās, qui*  
*est frugi, accuratē novit omnia sua supelle-*  
*ctilia, omniaque domus suae penetralia: ita*  
*Deus novit omnia loca omnesque res totius*  
*mundi: & sicut artifex peritus videt vnam*  
*& glebam auri, quam imperitus terram esse*  
*iudicat: ita Deus scit bonum esse, quod no-*  
*bis videtur fecus.*

21. *Sicut in aqua relucens imago solis ad-*  
*umbrat solem, & umbra ostendit suum cor-*  
*pus: ita maiestas Dei in ipsius operibus re-*  
*præsentatur, ibique veluti per transennam*  
*videtur.*

22. *Quemadmodum perfecta corporis*  
*alicuius cognitio perficitur trina ipsius di-*

B

men-

menzione, videlicet longitudine, latitudine, profunditate, adeoq; etiam altitudine: ita in attributis & operibus Dei hæc eadem analogicè observata plurimum conducunt ad ipsorum cognitionem. Quæ sacra geometria desumpta est ex tertio capite ad Eph. v.18.

23. Deus totus est oculus; quia videt & moderatur omnia: totus manus est, quia operatur omnia.

24. Sicut totum sibi & suis partibus sufficit: ita quoq; Deus & sibi & omnibus creaturis est satis. Deus nempe & sibi est totum, & tibi est totum. Si es frus, tibi est panis: Si sis, tibi est aqua: si es in tenebris, tibi est lumen: si nudus es, tibi vestis est.

25. Deus habet duos Thronos, instar magni regis: Thronum dico iustitiae, & Thronum misericordiae: prior thronus nobis est inaccessus, vitio nostro: ad posteriorem ascendimus per tres gradus, fidem videlicet, penitentiam, & precationem.

26. Quod in navi est gubernator, in curru rector, in choro præcentor, in urbe dux, in exercitu imperator, id in hoc mundo est Deus.

27. Sicut oriente sole cedunt tenebrae: ita si Deus affulgeat captis nostris, cedit omnis perturbatio.

28. Quemadmodum homo quod est subtilior & exercitacione, eò citius & melius cognoscis

*Loci communes Theologici.*

23

gnoscit res, apprehendēdo illas citra discursum: ita Deus qui est ipsa sapientia, novit omnia simplicissima apprehensione: quia videlicet per se ipsum cognoscit omnia.

29. Sicut architectus in se ipso videt totum, quod molitur adificium: ita Deus in sua essentia, tanquam in speculo, immo tanquam in causa efficiente, exemplari & finali omnium rerum bonarum, videt omnia sua opera.

30. Quemadmodum rex solo nutu appetitorib' suis imperat: ita Deus efficit omnia, non motu, sed nutu voluntatis suæ. Atque hoc est rō dicere Dei, cuius fit mentio Gen. i. Deus dixit, & factum est.

31. Quemadmodum in Republica bene constituta voluntas supremi magistratus est norma, de qua non disputatur: ita in regno potentiae, gratiae, & gloriae, voluntas Dei est causa causarum. Rursus quemadmodum voluntas boni magistratus includit iudicium sive rectam rationem: ita voluntas Dei includit ipsius summam sapientiam. Quare hæc fuerit rectissima analysis operum Dei: *Hoc Deus fecit: quia voluit: voluit: quia iudicavit id esse optimum.*

32. Similitudines quæ adferuntur circa mysterium sacrosanctæ trinitatis, non habent vim probandi, sed illustrandi, itemque reparandi gentiles, ut intelligant, non esse

B 2

ab.

absurdum , quando ex scripturis docemus tres personas habere unam essentiam. Adferuntur autem variæ similitudines, quas inter excellunt istæ quatuor. 1. Sicut quælibet universitas exempli gr. civitas, Ecclesia, habet bonum aliquod æqualiter commune & individuum , uti est fons , sylva , prædium, archivum, sigillum, &c. ita una Dei essentia est æqualiter cōmunitatis tribus personis. Reætè itaq; faciunt philosophi logici , qui extum prædicabile videlicet individuum constituunt. Nam cùm dico , *Pater est Deus*, individuum prædicatur de individuo. Quod autem obiicitur , individuum esse incomunicabile , id patitur geminam exceptionem, videlicet si individuum sit infinitum, itemq; si spectetur possessio. 2. Quemadmodum una scaturigo in se ipsa potest habere tres latices æqualiter manantes ex scaturigena, & in ipsa nihilomin⁹ manentes: ita in una Dei essentia sunt tres psonæ. 3. Quemadmodum in qualibet creatura sunt tria quæ tametsi sunt distincta , tamen non multiplicant essentiam creaturæ: ita tres personæ in Deo unam habent essentiam. 4. Sicut animæ rationalis essentia numero una in se habet intellectum , voluntatem, & memoriam, quæ tria distinguuntur modo five gradu : ita in una Dei essentia sunt tres personæ , quæ distinguuntur modis subsistendi , five charæcteræ essentia.

33. Pater in Sacro sancta trinitate est fons trinitatis, quatenus subsistit a se, & subsistens dat filio, & una cum filio spiritui sancto actu aeterno, hoc est, semper stante & interno.

34. Inter similitudines quibus aeterna filii Dei generatio uteunque adumbratur, quatuor istae primatum obtinent. 1. Quemadmodum a mente hominis, idque in ipsa, non extra ipsam, dignitur sapientia: sic a Deo patre dignitur filius, qui eam ob causam Prov. 8. appellatur *sapientia*. 2. Sicut a mente hominis dignitur sermo, isque tum internus tum externus, qui mentem ipsam mirabili similitudine refert: Sic a Deo patre dignitur filius, qui ea de causa Joh. 1. appellatur *λόγος*, h.e. verbū sive sermo. 3. Quemadmodum a sole dignitur splendor, occulta & perpetua emanatione: sic a Deo patre dignitur filius, qui eam ob causam Heb. 1. appellatur *effulgentia gloria patris*, & in Symbolo Nicæno *lumen de lumine*. 4. Quemadmodum imago ceræ imprimitur a mura sigilli, eamq; adamussim refert: Sic a Deo patre dignitur filius, qui ipsum perfectissime refert. Et eam ob causam filius ad Hebr. 1. appellatur character hypostasis Patris.

35. Similitudo, qua processio spiritus S. adumbratur, longè illustrissima haec est. Sicut amor (princeps omnium affectuum) procedit a voluntate per spirationem seu

aspirationem: ita spiritus S. procedit à patre & filio una spirantibus. Officium autem spiritus S. scriptura his modis depingit. 1. Spiritus S. in principio creationis incubavit terræ & aquæ Gen. 1. & idem facit in opere gubernationis. Quemadmodum videlicet avis incubando ovis, illa fovet & animat, ut inde pullities excludatur. 2. Spiritus S. est oleum letitiae. Psal. 45. quia illo ungimur, ut simus prophetæ, sacerdotes, & reges Dei nostri, inque illo lætemur, supra omnes opes, omnem scientiam, omnemque potentiam huius mundi. Quæ etiam causa est, quod spiritus S. 1. Joh. 2. appellatur *unctio*. 3. Spiritus S. est ignis Matth. 3. quia illo baptizamur, tanquam igni, qui mentes & corda nostra illuminat, purificat, & fovet: idque vel ordinariè, ut in omnibus electis, vel extraordinariè, ut in Apostolis. Acto. 2. ubi spiritus S. apparuit in linguis igneis, quia omnes quos replevit, ardentes pariter & loquentes fecit. 4. Spiritus S. est aqua Joh. 3. quia vim aquæ exerit in nobis repurgandis, regenerandis, refocillandis, & denique diluvio quodam tollendo vicia nostra. 5. Spiritus S. est ventus Joh. 3. quia liberè quo & quâ vult, spirat, & eius flatum sive afflatum in cordibus nostris sentimus, neque tamen modum ipsius scimus: denique quia spiritus S. ventilat nos, ut crescamus in pietate, navimque nostram in mari huius mundi propellit.

6. Spi-

6. Spiritus S. est arthabo & sigillum 2. Cor. i.  
& 5 Gal. 4. Eph. i. quia in cordibus nostris  
futuræ hæreditatis certitudinem suo testi-  
monio stabilit, confirmat, & obsignat. 7.  
Spiritus S. est digitus Dei Luc. ii. quia pater  
& filius per spiritum S. exerunt imperium &  
potentiam suā in regno providentiae & gra-  
tiae. 8. Spiritus S. est piorum doctoř Joh. 14.  
quia erigit cathedram in cordibus ipsorum,  
& instituit nos in schola, tum lucis tum cru-  
cis: idem est piorum dux Rom. 8. quia illos  
ducit in omnē veritatem, & tandem intro-  
ducit in cœlestem Canaan. 9. Spiritus S. est  
paracletus noster Joh. 14. 15. & 16. quia est ad-  
vocatus noster, docens nos orare.

---

LOCVS IV. DE ANGELIS.

I.

**A**ngelus est perfectus homo, sicut ho-  
mo est imperfectus Angelus: quæ col-  
latio spectatur 1. in essentia & facultatibus  
animæ: 2. in dotibus, quas Angeli & homo  
aceperunt in prima creatione.

2. Angeli appellantur stellæ matutinæ  
Jobi 38. v. 7. Stellæ inquam dicuntur, propter  
multitudinem. Stellæ autem *matutina* pro-  
pter pulchritudinem. Hoc autem nomine  
vocantur omnes Angeli à natura, quam in  
prima creatione acceperunt. Sunt enim lu-  
cidissimæ substaniæ, sapientia, & sanctimo-  
nia pleua.

B. 4

3. Qem-

3. Quemadmodum rex habet suos stipatores , cubicularios, satellites, apparitores, oratores, nuntios, legatos, exploratores, vigilis, excubidores, lictores, denique milites, praesidiarios, stationarios, cataphractos, gregarios, & alios id genus, qui militiam defensivè & offensivè militant : ita Deus habet Angelos , & primò quidem bonos quorum myriades assistunt & ministrant ipsi Dan. 7. Hinc currus Dei Psal. 77. dicitur decem milibus multiplex, & Christus Matth. 26. facit mentionē duodecim legionum Angelorū, hoc est, septuagies novies millium, nongentorum & nonaginta duorum: Vel ut Hieronymus supputat, numero nempe rotundo, septuaginta duorum millium. Et Lucas 2. fit mentio militie cælestis: quia Angelis semper ad prælium & honorem imperatoris sui defendendum promptissimi sunt, ac paratisissimi. Confer Zach. 9. Heb. 12. Apoc. 5. & passim in toto illo libro. Hic non alienum fuerit à nostro proposito cogitationes Patrum & Scholasticorum audire de numero sanctorum Angelorum. Nazianzenus ait, illorum numerum tantum esse, ut novum mundum constituant. Dionysius Areopagita author est, tantam esse Angelorum multitudinem, ut eam numeris nostris quamvis in immensum multiplicatis non facile simus definituri. Ambrosius ait, quosdam sentire, numerū Angelorum nonagies novies maiorem esse omni

omni numero hominum, idque confirmari ait ex Luc. 15. ubi fit mentio oviū nonaginta novem, quas pastor deserit, ut unicam erabundam reperiat. Nempe per oves nonaginta novem, putant intelligi Angelos, & per unicam, genus humanum. Jam quod attinet numerum malorum Angelorum & ille profecto est longè maximus: quia legio occupavit unum hominē Marci 5. & Luc. 8. Verisimile tamē est, numerum istum longo intervallō minorem esse sanctorum Angelorum: quia non dēcet maiestatē principis tot habere tortores quot tutores.

4. Sancti Angelisunt proximi Deo auli-  
ci, tersissimo nitidissimoq; speculo similimi,  
in quo æterna sapientia, bonitas, potentia,  
& amor Dei conditoris clarissimē reluent.  
Sunt tanquam lilia candidissima, & velut  
pratum amoenissimum, in quo mille millia  
florum reperiuntur. Idem sunt musici, sive  
cantores cœlestes Esa. 6. Luc. 2. Apoc. 4.5. &  
7.&c. Porro iidem sæpe apparuerunt ut iu-  
venes Marc. 16. quia ipsorum forma est de-  
centissima, & robur integerrimum, ut equi-  
tes cataphracti. 2. Macc. 10. & 11. quia nem-  
pe se miscent præliis tanquam duces. De-  
nique sunt nostri protectores videlicet à Deo  
subdelegati Psal. 91.

5. Apostolus Coloss. 1. bonos Angelos  
appellat thronos, dominationes, potestates,  
& imperia, hoc est, principes & Dominos,

B s non

non quod peculiare regnum exerceant, sed  
quia sunt vicarii & primarii administrati divi-  
næ potentiaz. Sicut autē in vicariis ministris  
& officiariis regiis attenditur ad qualitates,  
officium, ordinem, & honorem: ita in sanctis  
Angelis hæc quatuor sunt spectāda. Et primo  
quidem qualitates ipsorum hæ sunt: Summā  
post humanam Christi naturam prædicti sunt  
notitiā: exceptā ~~καρδιογνωσία~~: Voluntas ipsorum  
& ad bonum & in bono immobilis per  
gratiam confirmationis: potentia est efficacissima,  
& proxima omnipotentia Dei: mo-  
tus celerrimus, utpote longè celerior motu  
solis, qui unica hora cōficit milliaria germanica  
numero sexcenties sexages mille: præ-  
dicti sunt innocētia originali & actuali, casti-  
tate summa, obediētia promptissima, amo-  
re in Deum & pios homines sumo, submis-  
sione erga Deum admiranda, tolerantia cō-  
stantissima: aversantur omnia peccata, ni-  
miū calorem irę & invidię, furnū superbię &  
calumnię, & fatorē luxurię. E contrario a-  
mant omnes virtutes, nominatim suffitum  
precationis, zonā tēperantię, & coronā hu-  
militatis. Officium ipsorum est triplex, erga  
Deum, Christum, & homines. Nam Deum  
amat & honorant, tū cantu, tum obsequiis:  
Christi conceptionē annuntiant Luc. 1. na-  
tivitatem evulgant, Luc. 2. fugam adornant  
Matth. 2. tentationes & mœstitudinem solantur  
Matth. 4. resurrectionē evangelizant Matth.

28. ascensionem honorant Act. 1. Deniq; adventū eius ad iudicium stipabunt. Matth. 25. Porrò pios ē carcere liberat Acto. 5. Servant in flaminis Dan. 3. vindicant à gladio. Gen. 22. inter leones protegunt Dan. 6. in undis defendunt Exod. 2. evinculis educunt Act. 12. incendio vicino subducunt Gen. 19. imminente cladem avertunt Apoc. 8. cōtumaciæ resistunt. Num. 21. in obedienciā reprehendunt Judic. 2. superbiā puniunt Act. 12. hostiū castra evertunt Eccles. 48. peste plurimos perimunt 1. Chr. 21. in bellis terrori sunt 2. Matc. 11. pamicis se opponunt 2. Reg. 6. castramentantur circa timentes Deum Psa. 34. ægrotos sanant Joh. 5. Fatigatos reficiunt 1. Reg. 19. Facundiā donant Esa. 6. Afflictos solant Gen. 21. ē cælo in terras commeant p scalam cæli Gen. 28. Joh. 1. Orantes animant Jud. 13. deniq; animas piorū in sinum Abrahæ deportant Luc. 16. Ordo sanctorū Angelorū est, q sub Christo capite in Ecclesia triumphante alii sunt Archangeli, alii Angeli: quæ hierarchia in sacris literis nobis est patefacta. Cult⁹ seu veneratio sanctorum Angelorum est triplex, videlicet honorifica de natura & officio ipsorum opinio, virtutum, quib⁹ illi sunt pediti, imitatio, & pfectio ipsorum reverentia.

6. Scriptura sanctos Angelos appellat Deos, & filios Dei: quia prædicti sunt virtutibus divinis, & à Deo adoptati. Appellatur etiā Seraphim, tum qb puritatē essentiæ, tū ob ardor-

rem amoris, tum denique ob fervorem zeli erga hostes Dei. Hi Seraphim sunt velut muri igniti pro populo Dei & incendiarium hostium eius. Ipsorum imago describitur Esa. 6. Appellantur etiam hinc inde *Cherubim*, ob robur & velocitatem. Ipsorum enim imago est puer alatus.

7. In malis Angelis considerantur, natura, cura, sympathia & antipathia. Natura est, quod voluntas ipsorum iniusta est, sed potestas iusta. Nam a semetipsum habent voluntatem, sed potestatem a Deo, qui Diabolo utitur tanquam carnifice, qui nihil potest absque nutu principis: & tanquam cane, cui opiliolorum laxat, & contrahit, prout ovibus expedit. Cura ipsorum est amplificare regnum tenebrarum. Nam Diabolus est apostata, author apostafiae, adeoque homicida ab initio Joh. 8. & Judæ v. 6. Est falsarius: quia imaginem Dei corrupit, & suam substituit Gen. 3. Est caput impiorum, ob influentiam & directionem malam, itemque princeps hui mundi, ob pseudomonarchiam Joh. 12. & 14. Est Deus impi seculi 2. Cor. 4: quia ut Deus in sua civitate est efficax & in illa celitur: ita Diabolus in sua. Est leviathan Esa. 27. ob monstruosam immanitatem. Est leorugiens, ob crudelitatem 1. Pet. 5. Est lupus, ob inexplebilem aviditatem Joh. 10. Est Draco, ob violentiam: & serpens, ob astutiam Apoc. 12. Est tanquam fortis armatus,

tus, ob tyrannidē Matth.12. Est simius Dei, ob cacozeliam in falsis miraculis Exod.7. & 8. itemq; in sui ipsius cultu stabiliendo. Est mille opifex, ob peritiam Joh.1. Est archisophista, ob perversitatem Matth. 4. & propter fucum, quo se transformat in Angelum lucis 2. Cor.11. Est professor calumniæ: quia hic ipsi cibus, calumniari Deum, eiusq; opera, itemque pios & illorum opera. Sympathia inter malos Angelos & homines malos est maxima, unde hi dicuntur *filiī Diaboli*, qui ipsos signit ratione qualitatis & imitationis. Denique antipathia est inter malos Angelos, Deum, *Christum*, & electostum Angelos tum homines. Nam Deus ipsos vincit catenis caliginis Judæ v.6. Christus contrivit caput serpentis antiqui, & hic insidiatur ipsius calcaneo Gen.3. Sancti Angeli depugnant adversus malos Angelos Apoc. 12. Sancti homines resistunt Diabolo, & ipsū tandem vincunt fide, precatione, & sanctimonia vitae. Sicut enim Elephas purpura irritatur: ita Diabolus sanguine Christi, quo tinguntur corda nostra per fidem, & sicut cantus galli gallinacei fugat leonem, ita preces Satanam. Ad extremum, ut Basiliscus speculo interficitur: ita Diabolus sanctimonia vitae cōvincitur. Resistamus itaque Diabolo & Angelis eius tanquam potestatibus & rectoribus mundi huius immundi, & cum nos colaphis cædunt 2. Cor.12. cogitemus

illud: Deus utitur cacodæmone in nostris tentationibus, sicut medicus inter dum serpentibus & viperis. Id enim agit ut profit infirmo.

**LOCUS V. DE PRIMA NATVRAE  
NOSTRAE INTEGRITATE.**

## I.

**D**eus est instar regis, qui habet thesaurum pro se & regno suo. Thesaurus autem Dei inexhaustus est ipsius essentia, in qua est infinita amabilitas & imitabilitas, quæ instar fontis perennis fundit rivos infinitos creaturas, in primis in hominem, in cuius creatione Deus expressit artem plasticam & sciagraphicam. Formavit enim ipsius corpus ex terra, sicut figulus parat vas mundum & artificiosum Gen. 2. Deinde expressit in homine suam imaginem, sicut princeps in moneta curat imprimi suā effigiem. Imago illa deifuit homini naturalis, partim ratione principii, ut spiritualis, immortalis, & intelligentia natura animæ: partim ratione fæderis naturæ, ut sapientia & iustitia naturalis, immortalitas corporis & dominiū in creaturas. Hæc autem omnia Adam acceperat à Deo tantum vasallus pro se & hæredibus suis. Hec erant talenta, quæ debebat negotiationi & famori exponere: quod sane poterat. Habebat enim gratiam sufficientem, etsi non habebat confirmantem & excitantem, nimirum ut filius prodigus Luc. 15. à patre suo acceperat satis

satis honorū, ita ut ipsi sufficerent ad dies vitaे, si bene illa collocaret: ita homo protoplastus satis bonorum & satis virium accep-  
rat à Deo, præsertim si speetetur facilitas pre-  
cepti Gen. 2. Verum ut filius prodigus dila-  
pidavit suam substantiam: ita primus homo  
sua culpa thesaurum sibi concreditum dissipa-  
vit. Et quemadmodū miles instatione col-  
locatus ab imperatore, facile potest ibi ma-  
nere: ita & Adam suam stationē tueri, & in-  
tra metā sibi præscriptam manere poterat.  
Cur verò Deus non dedit ipsi velle, sicut de-  
derat posse? Resp. Quia non debuit: & quia  
satis dedit; & quia voluit ostendere, quid ex se  
posset liberū arbitrium, & quid posset gratiæ  
sue beneficium in Christo, iustitiaeq; iudiciū  
extra Christum. Neq; tamen ideo voluntas  
Dei est accusanda. Nā sicut aqua vel tumultuando  
vel sensim exedēdo corruptit & per-  
rumpit aggerē, quo continetur: ita voluntas  
Adami perrupit gratiæ auxiliū ex creatione  
sufficiens. Et quemadmodū domus satis su-  
perq; fundata & ornata à ventis deiicitur: ita  
voluntas primi hominis à vento tentationū  
Satanæ loco suo fuit demota. Potuisset qui-  
dem Deus architectus, itemq; paterfamilias,  
fulcrum isti domui supponere; verum finit il-  
lam ruere, quia in ipsius locum voluit do-  
mum longè meliorem exstruere.

2. Liberi arbitrii natura optimè intelligi  
potest ex similitudine aq; in qua est tū flui-  
ditas,

ditas, tum qualitas. Et primò quidem, sicut aqua ex se fluere potest, verum ita, ut bene vel malè, sursum vel deorsum derivetur, aut etiam in vase ac aggere continetur: ita libertas est essentialis voluntati nostræ; ut ut illa determinetur à Deo, intellectu proprio, Angelo bono vel malo, itemque alio homine bono vel malo; sive determinetur moraliter, obiectivè & externè, ut ovis trahitur monstrator amo viridi: sive naturaliter, efficaciter & internè, ut cum Deus tangit & reformat cor nostrum. Ethoc sensu cor regis dicitur esse in manu Jehovæ, sicut rivi aquarum, quos agricola in aquæ ductibus & sulcis per prata solet deducere Prov. 21. Deus autem hanc aquam dicit sursum per canalem misericordiæ, Diabolus & homo eandem deducunt deorsum per præcipitum stultitiæ & malitiæ: sicut aqua manet aqua, et si fiat amara, acida, falsa, fætida, dulcis, limpida, &c. sic voluntas nostra semper manet libera, sive mancipetur peccato, sive sanetur & liberetur.

Quo pertinent ista similia. Voluntas pri-  
mi hominis erat aqua dulcis & viva, quæ corrupta est non secus atque aqua in lacu Asphaldite, seu in mari mortuo. Deinde vo-  
luntas hominis corrupti est veluti Camari-  
na, quæ quod magis movetur, eò magis fætet.  
Est item veluti pix, quæ quaquaversum est  
atra. Quid? voluntas nostra planè est mor-  
tua.

tua. Falluntur itaque Papistæ, qui adducunt  
hæc duo similia : Voluntas hominis non re-  
geniti est velut avicula caveæ inclusa , vel  
vinculo constricta : item est velut homo ille  
semiviv⁹, & seminex, qui incidit in latrones  
Luc. 10. Tertiò voluntas hominis regeniti  
est velut aqua in vite , quæ radiis solis sur-  
sum trahitur , & magis magisque excoqui-  
tur. Est item aqua amara , quæ iniecta ligno  
vitæ edulcatur Exod. 5. Est aqua noxia, quæ  
iniecta sale fit fertilis , utilis & utibilis 2.  
Reg. 2. Denique voluntas hominis in statu  
gloriæ est velut aqua odorata, quæ contine-  
tur alabastro æternitatis. Cæterum volun-  
tas hominis non male etiam confertur cum  
cera, quæ infinitis modis est flexilis, adeoque  
variarum figurarum capax. Nam voluntas  
instatu innocentiae fuit cera mundi , cui im-  
pressa erat imago Dei: in statu miseriæ est  
cera immunda , cui impressa est imago Dia-  
boli: instatu gratiæ hæc cera magis & magis  
mundatur , quatenus imago Diaboli sensim  
obliteratur , & imago Dei paulatim substi-  
tuitur : in statu gloriæ hæc cera est planè  
mundata , & à solo Deo ductilis. Pertinet  
huic & illa similitudo : voluntas hominis  
peccatoris est velut argentum vivum , quod  
est metallum leprosum , & corrodit omnia  
metalla , & non sustinet examen ignis, h. e.  
spiritus S., sed voluntas hominis regeniti est  
velut aqua ebulliens supposito igne gratiæ,  
q tollit frigus & teporē huius aquæ. LO-

LOCVS VI. DE DEI PROVI-  
DENTIA.

## I

**P**rovidentia Dei est & economia sine labore regens, & sine onere continens mundū. Nam Deus non est sicut architectus, qui domū à se conditam deserit, & patrifamilias cōmittit. Deus est & architectus & paterfamilias simul, amplissimæ huius domus, quā Mundū vocam⁹. Sicut enim verbo & spiritu suo fecit mundum Gen. i. Ps. 33. v. 6. ita quoq; verbo & spiritu Jehovæ omnia cōservantur Deut. 8. v. 3. Matth. 4. v. 4. Hinc Deus dicitur visitare & ditare terrā, coronare annū, stillare pinguedinē, &c. v. 65. itē confringere baculū panis Lev. 26. Ezech. 4. q̄ omnia sunt accipiēda de influxu divino, seu occultavi, qua Deus agit in creaturas, quarum pfectio est in fluxu primimotoris absq; intermissione recipere. Pertinet huc aurea illa catena, causa prima & causarū secundarū: Hos. 2. v. 21. & 22. Rabbini etiā providentiam Dei nobis existimant depingi in scala cœli Gen. 28. Verū scilicet illa non pertinet ad opus creationis, sed ad opus redemptionis.

2. In horologiis automatis rota maxima dextram vergens, ceteras rotas secum rapit, unam quidē itidem ad dexterā, alteras vero ad sinistrā contrario prorsus motu; ita quoq; in corporib⁹ cœlestib⁹ puta in sole duos cernimus motus, quorum unus est cōmunitis ab ortu.

ortu ad occasum, alter proprius ab occidente  
versus orientē , habemus hic in mechanicis  
illis instrumentis tū in corporib⁹ cælestibus,  
imaginem providentiæ divinæ. Nam Deus  
est veluti maxima rota ceterarum rotarum  
motrix, ita ut singulis sese moventibus rotis  
motum automatum indiderit, & ita quidē,  
ut ille nullo modo moveatur , omnia vero  
secundū æternam suam pvidentiā moveat.  
Hoc autē providentiæ Dei mysterium nobis  
divinitus in illa Ezech. visione capite primo  
fuit representatū, in qua & illud nobis obser-  
vandum venit, quadruplices illas imagines  
fuisse alias obiectas, & rotas rotis implicatas,  
Deo altissimo supra omnia illa collocato, ne  
cum causis secundis moveri ipsum motorē  
arbitremur, neve nimium curiosē singula-  
rum illarum motionum rationes à nobis p-  
cipi posse speremus.

3. Plato eleganter ait, Deum semper age-  
re geometram, hoc est , res omnes intimè  
cognoscere, regere, conservare.

4. Hominibus fermē accidit in iudicio  
de providentia Dei, quod febricitantibus,  
quibus mel videtur amarum , & oculis cali-  
gantibus, quibus sol est noxius.

5. Ut corporis humani membra absque  
ullo labore moventur mente ac voluntate  
sola: Sic nutu & providentia Dei omnia fin-  
guntur, moventur, atque mutantur.

6. Quis non sentiat hunc mundū pvidē-  
tia

tia Dei gubernari, cum perspexerit nihil esse  
quod sine moderatore possit cōsistere. Nam  
domus ab habitatore deserta dilabitur: na-  
vis sine gubernatore it pessum , corpus ab  
anima relictum concidit: gressus absque pasto-  
re dispergitur: exercitus sine duce dispergi-  
tur.

7. Ut gubernator manum inclavo habet  
oculos in astris fluctus assilentes secure ne-  
ligens: sic nos oportet quod agimus, bene  
agere, & animum ad Deum referre.

8. Ut in exercitu variis affectus militum  
sunt, & hunc præda incitat , istum gloria,  
illum odium, omnes tamen pro victoria &  
principe pugnant : Sic omnes omnium vo-  
luntates bonæ malæque Deo militant, & in-  
ter varios fines veniunt , tamen ad hunc si-  
nium finem : & respectu huius finis nulla  
prosperus est in mundo confusio.

9. Deus regit hunc mundum monarchi-  
cè, ut rex provinciam, cuius apparitores ne-  
mo socius esse in regenda provincia dixerit,  
quamvis illorum ministerio res geratur.

- 10. Ut fluvii quidam per medios lacus &  
media maria transeunt , suamque servant  
undam: ita Deus per malos agit bene. Rur-  
sus ut sol per vitrum viride rubrum vel sor-  
didum, puro spargit radios, ita ut splendor  
sit à sole , color à vitro : ita in permissione  
peccati *à traxia* est à peccante, *à traxia* à Deo  
dirigente. Denique ut sol ex rosis gratum,  
ex cada-

*Loci communes Theologici.*

41

ex cadavere gravem elicit odorem, una eademq; actione : ita Deus semper bene agit, five per bonos vel per malos agat.

11. Quemadmodum rota molendini aquam hinc inde dispergit, & rota aquilegis aquam sursum impellit, non mutata natura aquæ: Sic decretum providentiae Dei necessitatē rebus imponit, non mutata rerum natura: quia nempe omnes creaturæ prædictæ sunt potentia obedientiæ erga Deum.

12. Deus permittit peccata, quia scit melius esse permettere q; non permittere. Facit enim instar medici qui ex veneno ritè temperato præparat theriacam : Sic verbi gr. permisit lapsum Adæ ut maius bonum inde eliceret. Nam plura recipimus in Adamo secundo, quam in primo amisimus: non secus ac si quis amittat grossum & reperiatur Joachimicum, vel pro domo lignea & stramine incendio absumpta reperiatur marmoream.

13. Deus in curru suo æternæ providentiae semper triumphat. Nostri ergo officii est, sequi, obsequi, precari, & obire alia munia, quæ decent illos, qui comitantur triumphantem imperatorem : Sicut enim agonotheta non nisi legitimè certantibus decernit & confert βαθεῖα: ita Deus ab æterno decrevit iuvare orantes & laborantes,

LO-

## LOCVS VII. DE PECCATO.

1.

**P**eccatum est velut aberratio à scopo, ut hebraica vox, itemque græca indicat. Est item pecuina linea aut limitis præscripti transultio, ut peccatum merito à pecude dictum putetur.

2. Peccatum est stultitia Psalm. 38. & 69. Est debitum, quo obstringimur Deo, vel proximo Psal. 69. & Matth. 6. Est morbus, dolor, languor, defectio Esa. 53. Est sordes Apoc. 22. Ex quibus omnib' intelligitur, peccatum non esse nudam privationem, ut est silentium: sed privationē, ex qua oritur actus vel habitus. Hinc peccatores in scriptura dicuntur cæci, surdi, muti, imò mortui. Quo pertinet illustris similitudo: sicut dissonātia in musicō instrumento, est privatio, sed talis, q̄ sonū, rem bonā corrumpit: ita peccatum in creatura rationali est privatio reūtitudinis, q̄ obliquitatē introducit: ita cum aliquis deflext̄ à regula lineam obliquam ducit, q̄ est privatio nō pura, sed cōiuncta cū aliquo positivo.

3. Sicut cum peritus eques recte regit eum, nō potest dici author claudicationis, q̄ equus cespitando sibi contrahit: Sic Deus est naturalis causa motionū omniū etiam in peccato, sed non causa moralis. Rursus quē admodum malæ ambulationis in homine claudio vitium indistortā tibiam reūcimus, & vitiū scripturæ exaratæ ab optimo scriba

in

in malam papyrum, aut male temperatum calamum vel attamentum: ita peccata nostra non debent imputari Deo, qui auxilio generali ad ea cōcurrerit, sed nobis, qui desfleūimus, & claudicamus ab ipsius lege, & influxum eius in malum detorquem⁹. Quam obrem licet Deus nobiscum faciat actus, qui intrinsecā & inseparabilē habent malitiam: nequaquā tamen peccati author censeri debet: quia in moralib⁹ ille alicuius operis causa iudicatur, q̄ præcipit, consulit, suadet, approbat, & declinat à lege. Hinc Augustinus præclarè ait: *Deus non est author peccati, quia ad faciendū peccatum cōcursus causa moralis est necessarius: At Dei concursus cū homine est naturalis & universalis.* Et Thomas reddit hui⁹ rei rationē eiusmodi, in peccato duo insunt, operatio, & defect⁹. Operatio quidē secundū rationē operationis in Deū referenda est: sed defect⁹ nullo modo, quia defect⁹ solū in causā deficiētē reduci potest. Deus aut̄ non est causa deficiens. At, inquis, Theologi classificatentur, q̄ Deus eo sensu possit dici causa deficiens, quo sol dicit̄ causa deficiens tenebrarū. Resp. utrumq; hic dicit̄ *νοταχεντιῶς*: quia sol nō deficit, sed lumē suū subducit aéri sua natura tenebroso: ita cū Deus dicit̄ deficere intelligit̄ negatio gratiæ. Ceterū quādo Deus dicit̄ indurare, & cæcare, seducere, ista quatuor semper sunt intelligenda, permisso iudicialis, negatio gratiæ informantis

mantis & reformantis , oblatio occasionis  
 bonæ vel indifferentis , & denique ordina-  
 tio mirabilissima . Eaꝝ omnia iuxta sequen-  
 tes similitudines . 1. Deus permittit impios  
 impietati suæ , quemadmodum fessor equo  
 lascivienti habenas laxat , & venator canem  
 ligatum solvit , ut persequeatur prædam .  
 2. Sicut domuiruinosæ , quæ iam pænè col-  
 lapsa est , & in singula momenta ruinam mi-  
 natur , peritus architectus remotis impedi-  
 mentis viam aperit ad ruinam , ne præter-  
 euntes opprimat , & ut graviorilapsu dissipe-  
 tur : ita Deus sublatis impedimentis peccati ,  
 peccatori viā aperit ad peccandum . 3. Deus  
 oblatis occasionib⁹ bonis vel indifferentib⁹  
 peccatum intus latens elicit , irritat , & edu-  
 cit , ut vel impietatem in apricum produ-  
 ctam puniat , vel detegat latentem , quo-  
 modo videmus medicum propinato cathar-  
 tico humores excitare , incendere , educere  
 ex vicio corporis . 4. Ut in media aeris regio-  
 ne calor intenditur per āv̄t̄t̄ēp̄s̄āt̄v̄ , unde  
 tonitrua & fulmina existunt , sic impii dum  
 præceptis salutaribus urgentur , spirant ful-  
 mina & ignes impietatis . 5. Sicut araneus &  
 apicula ex eodem flore mel & venenum su-  
 gunt : sic pii & impii præceptis , interdictis ,  
 promissionibus , comminationibus , confi-  
 liis , beneficiis & iudiciis Dei , denique cogi-  
 tationibus vel bonis , vel malis , vel mediis à  
 Deo iniectis utuntur benè vel male . 6. Ut la-

pis

pis non emollitur aqua: Sic cor impii nō potest reformari à gratia. 7. Ut radii solis excæcant petulantes: sic opera Dei bona irritant, pervertunt, excæcant nequiter malos. 8. Sic ut medicus venenum ordinat, non ad malū, sed ad bonum; ita Deus ordinat peccatum.

4. Sicut venenum melle litum cum volutate sumtum enecat: ita & peccatum: iure itaque merito hic usurpaveris illud: Fistula dulce canit volucrem dum decipit auceps.

5. Peccatum est ipsissima Diaboli imago. Sicut igitur imago Dei ante lapsum in mente erat lux, in voluntate conformitas cum voluntate Dei, in corde Iætitia ardens amore Dei: ita imago Diaboli in mente est caligo, in voluntate aversio à Deo, in corde contumacia, sed non sicut imago Dei erat naturalis partim ratione principii, partim ratione fæderis naturæ: ita quoque imago Diabolise habet: Ea enim est naturalis non ratione principii, sed tantum ratione fæderis violati.

6. Primo homini peccanti accidit quod cani Aësopico, qui dum caparet umbram, amisit carnem & umbram. Itaque homo protoplastus affectando Divinitatem, amisit & Divinitatem & humanitatem.

7. Peccatum originale ratione defœctionis est veluti crimen læse maiestatis, quo fit, ut ille, qui peccat in primis si sit Vasallus, amittat omnia privilegia, sibiq; & familiæ in-

C urat

urat maculam : idē ratione corruptionis est veluti morbus hæreditari⁹, & hinc est, quod peccatum hoc in scripturis appellatur *caro*, quæ destituta spiritu tanquam sale fit caderosa. Rursus cōrruptio illa nativa est veluti vermis venenatus , qui iacet ad radicem arboris malæ . Deniq; est velut serpens, quæ in sinu nostro quotidie foveamus.

8. Omne peccatum coram Deo est sicut pannus remotiorum Esa. 64. & velut lepra Lev. 13.14: est velut fermentem vetus 2. Cor. 5. Hactenus itaq; omne peccatum est mortale : omniaq; peccata sunt paria , sed ratio ne causarum, effectorum, obiectorum, gra duum, &c. Est enim 1. peccatum dulcescens, vel amarescens. 2. peccatum q̄ sit alatā manū, ut cum quis Christum denuō crucifigit, & sanguinem fēderis concūlcat pedibus, vel ex infirmitate, quomodo videmus puerulū cadere. 3. Peccatū clamans, vel non clamans. 4. Peccatum regnans instar tyranni ( unde ad Rom. 7. dicitur lex peccati ) vel inhabitanstantum. 5. Vivum q̄ per legem animatur, vel mortuum. 6. Cōcinnum sive rubrū, veluti dibapha , vel simile nivi , vel lanx. 7. Vastans conscientiam , tanquam paradisum pulcherrimum, vel non vastans. 8. Repetitum vel non. Sunt enim quidā homines, qui tanquā canes ad vomitum , & tanquam sues ad volutabrum cāni redeunt, 2. Pet. 2. 9. Re missibile vel irremissibile , & hoc est petulans,

lans, perseverans & crudelis abnegatio veritatis cœlestis, cum homo perinde agit, ac si quis nocte intempesta in tenebris cymmeriis in sylva densissima inter varia præcipitia ambulans, nanciscatur ducem, volentem ipsi facem præferre, cuius facem ipse petulant exstinguat faciemq; colaphis cædat.

9. Peccati partus est duplex, peccatum & pæna. Nam unum peccatum parit alterum, & omne peccatum generat pænam Jacobi 1. Hinc Sirach 21. peccatum dicitur mordere, ut vipera, & ipsius dentes dicuntur esse leonini, itemq; instar gladii ancipitis. Porro pena consideratur ratione Christi, piorum, & impiorum indifferenter, vel piorū tantum, vel impiorum tantum: Et Christo quidē pœna imponitur tanquā sponsori & redemptori, q; pro clientibus & captivis suis persolvit λύτρον: piis autem & impioris communiter imponitur pæna tanquam speculum iræ Dei, & tanquam exemplum, q; Deus statuit in peccante. Piis singulariter pæna est vel ignis pæbationis, vel virga castigationis paternæ, vel sal præservationis, vel absynthium molestationis, vel aqua cōformationis cum Christo. Rom. 8. ubi excellit martyrium. Ista autem vel omnia vel maximam partem concurrunt in piis. Atque hæc est causa quod pii sub onere tribulationis non grunniunt uti fues, quando audiunt unam ex gregalibus maestari; neque latrant, ut canes,

C 2 qui

qui lapide petiti istum mordet, nihil morati astantem. Quod attinet ad impios, illis pœna imponitur ut flagellum, & lorum; quo fit, ut illi satisfaciendo nunquā satisfaciant. Cæterum inter pœnas peccati primatum tenet mors, utpote stipendum peccati Rom. 6. Unde i. Cor. 15. peccatum dicitur mortis aculeus. Consideratur autem mors per se vel accidens. Mors per se & in sua natura est veluti i. oceanus; in quem omnia flumina decurrent. 2. Messor; qui falce sua petit gramē & omnis generis flosculos. 3. Ventus; q. flosculos decutit, dispergit, enecat. 4. Pulsans; qui perpetuò stat ad ostium. 5. Fur; qui afferit obvia quæque, & quidem eo tempore, quo minimè putatur. 6. Latro; qui viatorib⁹, quā cautis quā incautis struit insidias. 7. Aspis; quę obturando aures, adiaculatur venenum. 8. Tortor & carnifex; qui membra confringit & variis tormentis excruciat. 9. Lopus; qui si prior hominem viderit, vocem eius intercludit, at si prior videatur obmutescit. 10. Imperator, qui imperat in Europa, Asia, &c. 11. Dux castrensis, qui arcem expugnaturus cingit eam numeroso milite, & præcipua eius propugnacula quatit. 12. Sceletum humanum, auribus, oculis, & naribus destitutum falceq; armatum. 13. Eques insidens equo pallido. 14. Disruptio telæ à stamine textorio. 15. Via omnis carnis, discessus, abitus.

Mors

Mors per accidens quatenus per Christum  
victa est & mutata in melius , est veluti i.  
Somnus, qui subito invadit sub noctem , sed  
ita , ut nos reficiat , & alacriores dum surgi-  
mus reddat Dan.12. 2. Seminatio i. Cor.15.  
3. Messis seu frugum collectio, qua aggrega-  
mur ad patres nostros Gen.25. v.8. 4. Trans-  
itus & migratio in vitam æternam Joh.14.  
16. 5. Receptus in conclave tutissimū Esa.57.  
6. Analysis five revolutio ; qua solviimus ex  
statione huius vitæ in portum vitæ æternæ,  
& solvi à iugo naturæ peccati & laborū  
Phil.i. v.23. 7. Lucrum , quo animæ & cor-  
poris felicitatem lucramur Phil.i. v.21. 8. De-  
positio tabernaculi terrestris & permutatio  
tabernaculi veteris & ruine si cum taberna-  
culo novo cœlesti & incorruptibili 2. Cor.5.  
9. Apolysis, id est, dimissio Luc.2. v. 29. qua  
dimitimur tanquam milites ut confecto  
bello in Ecclesia militante mittamur in tri-  
umphantem, & dimitimur simul ex carce-  
re peccati in cœlestem aulam.

---

LOCVS VIII. DE LEGE DEI.

I.

**L**Ex est regula, eaque vel regulans, ut est  
lex naturæ: vel regulata, ut lex à magi-  
stratulata. Illa obligat conscientiam direc-  
tè per se & immediatè ; hæc indirectè per  
accidens & mediaterè , quatenus ad priorem  
reduci & in eam resolvi potest.

C 3

2. Ut

50                  *Ioh. Henr. Alsted.*

2. Ut lex est anima cuiusq; societatis : ita ratio est anima legis. Ratio autem ista est vel perpetua vel temporaria. Atq; hinc pendet obligatio legis ; ita ut alia obliget semper & ad semper , alia semper , sed non ad semper.

3. Sicut lex est speculum miseriæ nostræ: ita Evangelium est speculum misericordiæ Dei. Deinde lex ita est speculum, ut intuentium oculos perstringat: Sed Evangelium est speculum q; radiis suis nos reficit, & illustrat 1. Cor. 3. v. ultimo. Etsi ergo Evangelium est aliud à lege, non tamen est alienum: & licet sit diversum , non tamen est contrarium. Rectè itaque dicunt Theologi, legem esse vinum quod edulcatur faccato Evangelii, eiusque oleo temperatur.

4. Quemadmodum medicina amara prodest patienti, quantumvis sit ingrata: ita lex homini variis vitiis laboranti est utilis, ut ut carni & sanguini sit molestum.

5. Sicut Herma monstrat claudio viam, sed non largitur facultatem incedendi : Sic lex monstrat viam ad cælum , sed vires non confert, ut viam istam calcemus.

6. Quemadmodum sol semper bonus est, sive oculi sani delectatione eius reddantur vegetiores, sive lippientes ictibus radiorum eius indensiores incident tenebras: ita lex semper est bona sive pro sit plenis gratia, sive ob sit inanibus gratia.

7. Lex nobis est antidotum , & vitiosita-

tis

*Loci communes Theologici.*

51

tis venenum. Sanare nos non potest legis antidotum , quos occidunt venena vitiorum. Sic videmus præcepta medici non curare infirmum, qui non potest ea observare.

8. Sicut medicus febricitantem liberat, ut sanatus temperanter vivat : non vero per intemperantiam sibi contrahat recidivam: ita Christus nos liberat de lege , non ut peccemus , quia non sumus sub lege , sed ne peccemus , quia sumus sub gratia , ut vivamus secundum legem , non ex lege , sed ex gratia. Huc pertinet insignis illa similitudo Rom.7. qua dicimur morte Christi liberati à matrimonio , quo devincti eramus legi tanquam marito.

9. Quemadmodum in cithara non unius tantum fidis melodiam excitasse satis est, sed omnes pari quadam numero percurrentes sunt : ita omnia decalogi præcepta nobis observanda sunt. Aliás nobis idem accidet quod in cithara , ubi si una chorda dissonet tota harmonia turbatur. Atque hoc est , quod dicitur Jacobi 2. eum qui in uno impingit teneri omnibus. Huc pertinet quod decalogus dicitur esse decachordum hominis christiani.

10. Lex moralis Jacobi 2. dicitur lex regia, quia est instar viæ regiæ , quæ est plana, & sine diverticulis.

11. Tota œconomia legalis Mosaica fuit custos & pædagogus ad Christum Gal.3. Quare

C. 4.

cum

52                  *Ioh. Henr. Alsted.*

cum Christus doct̄or & duc̄tor excellentior supervenerit, iam cessat pr̄sidiū & p̄dagogia. Nam Ecclesiæ vet. T. tribuitur infantia, quatenus nondum fuit plenitudo temporis.

12. Quemadmodum si lucerna quæ noctu p̄reluxit orto iam sole adhibetur, nullum pr̄stat officium: ita lex Mosaica ceremonialis, quæ profuit Iudæis tempore diluculi nobis obest, si postliminio revocetur, quia orto sole iustitiæ non oportet umbras confectari: neq; tamen ideo nullus apud nos est usus veterum ceremoniarum, quia ex illis tanquam picturis hieroglyphicis sacerdotii Christi p̄clara derivari possunt documenta, ut patet ex Epist. ad Hebr.

13. Lex moralis in omni statu hominis ante lapsum & post lapsum in hac vita & post hanc vitam est speculum naturæ, seu imaginis Dei, norma officii nostri & testimonium vitæ æternæ: in statu innocentia peculiariiter fuit eos obedientiæ Adami: in statu miseriæ est speculum miseriæ, frenum dirigens dociles, & coercens petulantes, est litera occidens, sive ministerium mortis 2. Cor. 3. in statu gratiæ est eos, stimulus, & norma gratitudinis: deniq; in statu gloriæ est cibus omni melle dulcior.

14. Leges forenses Mosaicæ autē sunt materia decalogi, & iste obligant omnes homines ad obedientiā, aut sunt de materia istius politiæ singulari, & ex nihil ad nos pertinēt.

15. Quem

15. Quemadmodum cadaver hominis recentis defuncti non debet subito proiici extra aedes, sed ad tempus ibi relinqu, & postea honeste sepeliri : Sic ceremoniae Mosaicæ non semel & simul sunt antiquatae, sed successivæ, inde à morte Christi usque ad excidium Hierosolymitanum; itaq; non oportet ab illo tempore sepultum hoc cadaver refodere. Neque tamen ideo nullæ sunt ceremoniae N. T. Nam religio Christiana æquè ac Judaica suas habet ceremonias tanquam tesseras Ecclesiarum, libros laicorum & repagula pruritus ingeniorum.

LOCVS IX. DE DISCRIMINE  
ET SIMILITUDINE VETERIS  
& novit Testamenti.

I.

**S**icut in fæderibus humanis quinque ista occurunt, personæ (five partes) bonum propositum (five finis) confœderatio ipsa, seu obligatio, instrumenta & duratio fæderis: ita & in fædere, qd Deus cum homine init & principio in fædere naturæ seu creationis. Personæ, sunt Deus & omnis homo in Adamo in lege consideratus. Bonum propositum, est vita æterna : Obligatio cōpleteatur quatuor ista, mandatū de faciendo bonum & omittendo malum propriis viribus, promissionem continuandæ felicitatis obedientibus, comminationē in transgressuros, & re-

C 5

pro-

54                  *Ioh. Henr. Alfred.*

promissionem obedientiæ propriis viribus  
præstandæ. Instrumenta sunt verbum legis  
& sacramentum arboris vitæ. Duratio fuit  
**exigui temporis** : quia homo propria culpa  
excidit hoc fædere. Deinde in fædere gra-  
tuito personæ sunt Deus & homo miser fide-  
donandus, itemq; Christus mediator tanquā  
arbiter. Donum propositum est vita æterna.  
Obligatio complectitur itidem quatuor vi-  
delicet mandatū credendi, promissionem re-  
missionis peccatorum factam credentibus,  
imò & promissionē ipsius fidei & inscriptio-  
nis legis in cordibus nostris; cōminationem  
in incredulos, & repromissionem fidei atq;  
obedientiæ fidei: instrumenta huius fæderis  
sunt duo, verbum Evangelii, & sacramenta  
Evangelica: deniq; duratio seu continuatio  
est æterna. Cæterum duo ista fædera figurā-  
tur ab Apostolo per Hagar & Saram ad Gal.  
4. quatenus excidimus fædere creationis  
seu legis, que idè tenet sceptrum iræ, & su-  
mus sub fædere gratiæ seu Evangelii, quod  
ideò tenet sceptrum gratiæ.

2. Fædus gratiæ initum est cum homi-  
ne lapso per modum testamenti. Itaque  
sicut in testamento tria necessario requi-  
runtur, institutio hæreditis, obsignatio scri-  
pti, & mors testatoris: ita in fædere gratiæ  
omnes credentes instituuntur à Deo hære-  
des, & proinde adeunt hæreditatem non  
iure merito, sed iure hæreditario, quomo-  
do vi-

dō videmus infantē in cunis iacentem capescere hēreditatem absq; ullo suo merito. Deinde hēreditas illa nobis ob-signatur, interne, testimonio spiritus S. tanquā arrhabone, & externe per sacramenta. Denique mors Christi facit ut suprema & ultima voluntas patris nostri cēlestis sit irrevocabilis.

3. Unum idemque est fædus gratiæ in V. & N. T. & tantum unum differt ab altero, quantum succus unus idemq; (verbigr. Stacta) in aliud vas transfusus à se ipso. Nam gratia veteris T. est succus paucioribus & angustioribus vasis exceptus & infusus. At gratia novi T. est idem succus & liquor pluribus & amplioribus vasis infusus & exceptus. Deinde fædus gratiæ in V.T. non ita clare fuit promulgatū ut in novo. Hinc vet<sup>9</sup> Testamentum cum luna & luce matutina, novum cū sole & luce meridiana confertur.

4. Non decet novum pannum insuere veteri: neq; idoneum est N. T. novamq; legem confundere cum ceremoniis antiquis & cum lege veteri. Quam in sententiam Christus ait Marci 2. Vinum novum non esse asservandum in antiquis uteribus.

5. Quemadmodum fædera hominum magnifice promulgantur per caduceatores, & confirmant publicis monumentis: ita Deus fædus gratiæ promulgavit per prophetas & Apostolos, variisq; beneficiis & iudiciis in V. T. illud confirmavit.

6. Etsi lex per se non spectat ad fædus gratiæ, tamen quatenus Deus promittit inscriptionem eius in corda nostra, omnino ibi locum habet: ita ut lex & Evangelium rectè comparentur duabus illis pugnis quas Deus fieri iussit Num. 12.

---

## LOCUS X. DE PERSONA ET OFFICIO CHRISTI.

### I.

**N**omina, tituli, prædicata, & attributa Christi metaphorica (ut & propria) distinguuntur in sex classes. Quædam enim concernunt ipsius essentiam, sive naturam Divinam, ut turris, rupes, &c: quædam personam eius divinā, ut character, imago, &c: quædam humanam naturam, ut surculus & germen Davidis &c: quædam personam eius constantem ex duabus naturis, ut scala cæli, leo de tribu Juda &c. quædam ipsius officia, eaque singula, vel bina vel universa, ut pastor, via, petra, lapis, agnus, panis vitæ, advocatus, ianua &c: quædam denique statim exinanitionis & exaltationis, ut termes, primogenitus ex mortuis.

2. Typi præcipui Christi servatoris nostri in V.T. hi sunt. Adam, quatenus fuit stirps omnium suorum hæredum, & pro illis dōna accepit, & sponsam suam ex latere suo accepit: Enoch translatus in cælum: Noe quatenus prædicavit longo tempore ante diluvium:

vium: Melchisdeck quatenus fuit sine pa-  
tre & matre, itemq; sacerdos & Rex: Joseph  
quatenus fuit venditus à fratribus, liberatus  
& liberans: rubus ardens, quatenus ignis in  
rubo non consumens illum, est imago Dei-  
tatis in carne habitantis. Moses expositus in  
infantia multis periculis & educens popu-  
lum ex Ægypto: Manna ratione perfectio-  
nis & refectionis: Serpens æneus ratione ex-  
altationis & remedii: Arca fœderis, quatenus  
fuit symbolum propitiationis, & habuit li-  
gnum putredini non obnoxium auroq; ob-  
ductum: summus pontifex, quatenus sacri-  
ficavit, oravit, fuit unctus, & indutus fuit  
habitum magnificentissimum, in quo ex-  
celluerunt Urim & Thummim, itemq; pe-  
ctorale: Omnia sacrificia, quatenus fuerunt  
hylaistica: Josua, quatenus introduxit popu-  
lum interram promissam: Simson, ratione  
roboris in vita & in morte: Omnes reges  
ratione unctionis: David, ratione exilii, li-  
berationis, victoriarum, nominatim illius,  
quam reportavit de Goliatho: Salomon, ra-  
tione ædificationis templi & pacis: Elias, ra-  
tione oraculorum, miraculorum & transla-  
tionis in cælum: Elisæus, ratione unctionis  
& miraculorum: Jonas, ratione sepulturæ  
triduanæ: Cyrus, quatenus laxavit captivi-  
tatem Babyloniam: plena enim est scrip-  
tura V. T. huiusmodi typis, ita ut recte ve-  
teres dixerint: Oportet ita legere scriptu-  
ram,

ram , ut singulas ipsius syllabas sanguine Christi tinctas esse cogitemus.

3. Unionem personalem duarum in Christo naturarum illustrarunt Justinus Martyr, Athanasius, Cyrilus & alii similitudine animæ & corporis , quæ duo unum constituunt hominem. Similitudine ferri igniti usi sunt Basilius Apollinaris & Theodoreus ; sicut ligni & cauterii igniti, Athanasius, Carbonis igniti Cyrilus , gladii igniti Damascenus. Vis autē huius similitudinis hæc est : quemadmodum in gladio ignito dux naturæ manent salvæ & distinctæ, videlicet ignis & ferrū. Et salvæ atq; distinctæ manent utriusq; proprietates & operationes , quia ferrū secat & ignis urit, & deniq; est perichoresis naturarū & actionum , quia gladius ignitus secando urit , & urendo secat : ita in Christo manent distinctæ dux naturæ , ipsarumq; proprietates & actiones , et si intima est περιχώσεις . Porro similitudine corporis solaris & luminis solaris usi sunt Justinus & Athanasius. nō solùm ut ostenderent unionem esse intimā, sed etiam distinctam & inæqualē : ita ut huc etiam pertineant similitudines manus unitæ corpori, & urbis unitæ mari. Ad extre-  
mum maximè apposita est similitudo surculi, qui trunco insit suam retinet essentiam; et si non habet propriam subsistentiam. Quamquam hæc similitudo etiam paulò aliter solet applicari. Fac enim truncum esse

esse (verbi gratia, pomum, arborem) qui habeat unum surculum nativum, alterum institutum, puta pyri arboris; hic recte dicis, est pomus, est pirus, & tamen una est arbor; ita recte dicis, Christus est Deus, & Christus est homo, neque tamen duo sunt Christi, sed unus est Christus.

4. Christus est sol iustitiae, qui illuminat omnem hominem lumine intelligentiae Joh. i. & omnem electum lumine fidei. Quando hic sol patitur eclipsin, nostro vitio, multa nobis incommoda inde oriuntur.

5. Nomen Jesus est nux myristica totius scripturæ; breviarium Catechismi, epitome Evangelii, myrothecium salutis, & denique mel in ore, μέλος in aure, & iubilum in corde: nomen Christus est nodus symboli Apostolici, quia coniungit primam & tertiam illius partem.

6. Sicut filii Jacobi apud Josephum nihil efficere potuerunt, absq; Beniamino: ita nos in foro poli nihil agimus sine Christo.

7. Ut pelicanus pullos à serpente admonitus sanat proprio sanguine: ita Jesus Christus sanguine suo nos restituit in integrum.

8. Quemadmodum sole arborem superillucente, si securis incidat arborem, non inciditur sol: ita paciente carne Christi, impossibilis mansit Deitas.

9. Sicut

9. Sicut purpura aut diadeima in terra iacentis non honoratur, sed tum demum, si rex iis sit redimitus : ita in λόγῳ adoramus carnem.

10. Quemadmodum theriaca & aliud quodvis alexipharmacum , geminum habet efficaciam , aptitudinalem, & actualem, & illam quidem in se & sua natura , hanc vero in applicatione sui legitima : ita mors Christi est tanti pretii , ut possit expiare omnium hominum peccata , et si non expiat ipso actu & eventu nisi credentium. Rursus sicuti sol sufficit omnibus hominibus illuminandis, & tamen non illuminat cæcos : ita quoque se habet mors Christi.

11. Christus est  $\alpha$  &  $\omega$ , non solum ratione æternitatis , sed etiam quia est  $\epsilon\pi\tau\epsilon\lambda\chi\epsilon\alpha$   $\pi\varrho\alpha\tau\eta$  &  $\delta\epsilon\pi\tau\epsilon\gamma\alpha$  scripturæ & credentium.

12. Sicut tres sorores possunt texere unā togam , quam non nisi secunda sibi aptat: ita tres personæ sacros. T. crearunt carnem, quam sibi appropriavit secunda persona.

13. Quemadmodum quando Iesus est senatus urbis, unus ex ordine senatorio potest suscipere partes mediatoris , & ita mediatore agere apud se & collegas suos : ita Christus est mediator apud patrem, se ipsum, & Spiritum sanctum.

LO-

## LOCVS XI. DE FIDE.

## I.

**F**ides vera (id est salvifica) longè excellētissima habet elogia in scripturis, & apud Patres, hoc modo: Est scutum & thorax sanctorum anchoræ conscientiæ: Anima animæ: Ratio rationis: thesaurus absconditus: differentia specifica Christianorum: mater bonorum operum (adeoque etiam charitatis) nominatim precationis: fax prælucens omnibus bonis operibus: fundamentum & radix bonorum operum & omnium virtutum theologicarum: victoria nostra i. Joh. 5. Lucerna totius hominis: lumen inextingibile: lampas Christianorum: Manus, os & stomachus, quo Christum omnibus suis gratiis vestitum accipimus, edimus: instrumentum instrumentorum: donum donorū (ratione perfectionis:) radix vitæ sanctæ: Character filiorum Dei: clavis, quā thesauri, qui in Christo sunt, nobis aperiuntur: Mater solidi gaudii (id est spiritualis:) nutrix conscientiæ: oculus quo videmus invisibilia: pignus æternæ hæreditatis: arrha & πρόξενος pacis cum Deo: fructus & sigillū electionis: scala qua è terrâ in cœlum certò & tutò ascendimus: Lorica fidelis animæ: tessera unionis nostræ eum Christo: Vinculum quo summo bono per Christum unimur: deniq; oleum,

oleum, quo vegetatur lampas bonorum operum.

2. Fides mortua (id est sine bonis operibus) est veluti cadaver exanime, manus arida, carbo extintus & candela.

3. Sicut in radice arboris nulla profusa appareat pulchritudinis species, & quicquid est in arbore pulchritudinis, ex illa procedit: ita fides iustificans videtur esse ignobilis & nihilominus tamen ex illa procedit omnis nobilitas tum operantis tum operis. Deinde sicut radix arboris defenditur calore terrae à frigore hyberno: ita fidei iustificantis habitus per gratiam spiritus S. semper manet in electis.

4. Intellectus est merces fidei, iuxta illud: *Noli intelligere ut credas, sed crede ut intelligas:* itaque fides malè definitur per ignorantiam.

5. Sicut in turri consistentes duo consequuntur bona (nam & ab hoste sunt tui, & hostem maximè lèdent) ita qui in fide Christi persistit, habet omnia arma defensionis & offensionis.

6. Totum Dei verbum est veluti circumferentia, in qua fides iustificans sese exercet: sed gratuitæ promissiones in Christo fundatæ sunt instar centri.

7. Fidei iustificantis gradus non solum in diversis hominibus, sed & in uno eodemque homine variant, ita ut fides nunc sit arundo.

rundo firma , ignis flammans , lychnium clarè ardens , oculus acutus , & manus firma : nunc arundo quassata , ignis sub cineribus latitans , lychnium fumigans , oculus hebes , & manus infirma .

8. Fides est veluti granum synapis , quod licet sit exiguum , tamen in maximam excrescit arboreum .

9. Sicut corpus absque spiritu mortuum est : ita & fides illa , quæ est absque operibus , mortua est . At verò fides , quæ est facta bonis operibus , est viva , quomodo arbor plena fructibus est viva . Nam vita cognoscitur ex vitali facultate , & hæc ex vitali operatione .

10. Quemadmodum charitatis actus alius est internus & elicitus , ut diligere : alius exterior & imperatus , ut dare elemosynam : item alius principalis , ut diligere Deum , alius minus principalis , ut diligere proximum : ita fidei iustificantis actus multisunt , videlicet applicare sibi iustitiam Christi , parere ex se fiduciam , spem & charitatem , credere firmiter , omnia peccata sibi esse remissa propter Christum , certò credere , se esse electum , seque non posse excidere iustitiâ C H R I S T I &c . Ex his autem actibus alius est elicitus & immediatus , videlicet credere remissionem peccatorum propter iustitiam Christi , seu iustitiam Christi sibi adiudicare , & ita

ita fides est in solo intellectu, non speculativo, sed pratico : Alii actus sunt imperati & mediati, ut parere fiduciam, atque ita fides collocatur in voluntate. Fidei iustificantis actus, alius est iustificans, ut credere historias in verbo Dei consignatas. Porrò actus fidei iustificantis, alius est generalis, ut credere omnia, quæ in verbo Dei sunt revelata: alius specialis, ut sibi applicare meritum Christi. Deniq; actus fidei iustificantis alius est ordinarius, quales sunt actus modò commemorati; alius extraordinarius, ut posse edere miracula. Quod attinet ad fidem temporariam, illam fides iustificans non potest includere, quia videlicet iustus fidei temporariæ est momentaneus, perinde ac si quis lingua gustet peccatum.

ii. Tres sunt columnæ fidei iustificantis, iuxta illud poëtæ Christiani :

*In rebus dubiis una est medicina Iehovæ,*

*Cor patriū, os verax, omnipotensq; manus.*  
Nam ad tres illas classes revocari possunt omnia fiduciæ argumenta: videlicet à præterito ad præsens, ab experientiâ, &c.

12. Quia promissio Evangelica & fides sunt correlativa, omnino infantes illi electi, qui in tenerâ etate evocantur, habent fidem iustificantem, non in fructu aut messe, sed in radice & semente : Quomodo infans dicitur habere rationem, actu videlicet primo.

13. Do-

13. Domus Dei ( id est Ecclesia & templū Spiritus sancti, seu quilibet fidelis) credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur.

14. Spes est anchora, quæ sustinet naviculam fidei fluctuantem inter Scyllam & Charybdim : est baculus necessarius peregrinandi in via huius vitæ: est columna, quæ sustentat alias virtutes : denique est galea salutis.

15. Charitas est veluti quæ continet radios dolii : est vinculum perfectionis: magnes spiritualis: fructus fidei: quotidianum exercitium fidelium : summa legis : deniq; oleum supernatans aliis virtutibus.

## LOCVS XII. DE POENITENTIA.

### I.

Pictura poenitentiæ apud Ausonium est eiusmodi:

*Sum dea, quæ facti non faciliq; exigopanas,*

*Nempe ut poeniteat, sic Metanœa vocor.*

Dicitur etiam reversio & conversio: ubi vox revertendi notat terminum à quo , scilicet à malo sive à tenebris : Vox convertendi terminum ad quem, scilicet ad bonum, sive ad lucem.

2. Partes poenitentiæ sunt mortificatio & vivificatio. Mortificatio sic dicitur, quod ut corpus emortuū vires suas iam nō exerit;

ut

ut antè, ita nec peccatum in homine pœnitente, quod priùs in ipso vivebat, iam frumentum & enervatum, iam amplius profert fructus mortiferos. Vivificatio contra sic dicitur, quod homo priùs in peccato mortuus, iam vivat Deo, & actiones vitæ edat. Dicitur autem *mortificatio* modò veteris hominis siue Adami veteris, modò carnis, vivificatio autem modò novi hominis seu Adami secundi & novi, modò spiritus: Quia homo ab Adamo vetere habet peccatum, in quo computrescit & moritur nisi peccato moriatur, id q̄ habet à Christo secundo & novo illo Adamo, qui abolet carnem, hoc est facit, ut non amplius seramus & metamus corruptiōnem in carne Gal. 5. v. 6.

3. Qui contendunt, hominem vel liberiaribitrii posse reparare & dispōere se ipsum ad pœnitentiam, illi ædificium in cineribus quærunt, & facultatem eundi in homine mortuo. Verum est; Deus præcipit, ut nos convertamus. Sed & hoc verum est: Deus præcipit, non tantum, ut p̄ceptor, qui mandat discipulis, ut adhibeant diligentiam, & simul ipsos iuvat moraliter: sed etiam ut pater, qui mandat filiolis, & illos iuvat ipso concursu. Imò ut medicus, qui ergo dat medicinam, & postea mandat ut ambulet.

4. Sicut ferrum missum in ignem amittit rubiginem, & totum candens efficitur: Sic homo integrè ad Deum se cōvertens, à tor-

pore

pore exuitur, & in verum hominem transmutatur. Ita verò mutatio neq; est substantiæ ( illa enim bona est ) neq; semel & simul perficitur, sed indies est perficienda, quantum homini veteri detrahitur, tantum novo quotidie addatur. Interim tamen à parte meliori, itemque à statu, & deniq; ab evenetu *spirituales* denominamur: quia videlicet vi spiritus caro domatur, & spiritus tandem dominatur.

5. Solent in civitatibus ad maculas & frides corporis extergendas esse balnea. Idem fit in Ecclesiâ: ubi sunt tria balnea, sanguis Christi, baptismus, & pœnitentia. In primo eluunt frides animæ meritorie: in secundo sacramentaliter five mysticè: in tertio formaliter. Duo autem ista balnea, baptism⁹ & pœnitentia eluunt peccata, quaten⁹ sanguine Christi sunt referta. Cæterum crebrae locationes Judæorum in V. T. fuerunt typi triū istorum balneorum.

6. Pœnitentia à Theologis confertur cum motu physico, in quo nō solùm sunt duo termini, à quo & ad quē, sed etiā realis mutatio. Sicut itaque in naturali generatione aliud corrumpt⁹ aliud generatur: ita in pœnitentiâ vetus homo corrupt⁹, novus homo generatur. Quid autē est vetus homo, nisi filius Diaboli, servus peccati, hæres gehennæ? Quid novus homo, nisi filius Dei, servus iustitiae, hæres vitæ æternæ? Huius generatio est illius corruptio: hic nascit⁹, ille moritur.

7. Pœnitentia hypocritica, quæ non est coniuncta cum emendatione, est sicut falsa moneta, quâ debitor conatur satisfacere creditor. E contrario vera pœnitentia est instar probæ monetæ (utpote cui impressa est imago Dei) quâ satisfacimus Deo, non quidem ratione iustificationis (ita enim λύτρον satisfacit insolidum) sed tamen ratione continuationis.

8. Pœnitentia est tabula naufragorum, hoc est peccatorum, qui faciunt naufragium gratiæ Dei, non quidem primæ (id est gratiæ gratum facientis) sed tamen secundæ (id est gratiæ gratis datæ) non tamen insolidum aut in finem.

9. Qui restè cupit agere pœnitentiam, imitetur agricolam, qui spinis purgat agrum suum, & aratro eum scindit, & postea serit in eo semen.

10. Pœnitentia est velut scala quædam, quâ ascendimus in Hierusalem id est pacis visionem. Huius vero scalæ sunt septem gradus, qui respondent septem Psalmis pœnitentialibus, hoc ordine: Sextus timor pœnæ: trigesimus secundus dolor culpæ: tricesimus octavus spes veniæ: quinquagesimus primus amor munditiae: centesimus secundus desiderium cœlestis patriæ: centesimus trigesimus diffidentia virtutis propriæ: centesimus quadragesimus tertius fiducia perseverantiae.

II. Sic

*Loci communes Theologici.*

69

11. Sicut triticum inter duos lapides molares teritur, & separatur à cortice suo, & fit similago munda: sic fideles inter legem Dei & crucem conteruntur & carnem deponunt & spirituales fiunt. Deinde sicut aromata & granum synapis quò magis tunduntur, eò magis vim suam exerunt: ita filii Dei rebus adversis pulsati inardescunt ad fidem, spem & charitatem.

12. Pœnitentia est velut arca, in qua custoditur thesaurus omnium virtutum. Hanc verò arcam solus Deus fabricat: sed Diabolus unicè stendet illam confringere & eripere: ita ut peropus sit sollicitissime illam custodire.

13. Quemadmodum crux Christi est trophæum nostrum ratione iustificationis: ita crux nostra est trophæum nostrum ratione sanctificationis. Hanc itaque libentes lætiq; portemus, imitati Simonem, qui iuvit Christum portando crucem ipsius. Quicunque enim crucem libenter portat, illi crux dulcescit, & ille invenit paradisum in terrâ. Neque est, quod nobis imaginemur crucem nostram esse graviorem, quam sit crux aliorum, ita enim est ut veteres dixerunt: Si fieri posset, ut omnes & singuli christiani cruces suas unum aliquem in locū comportarent, & cuilibet daretur optio aliam quam suam crucem eligeret, quisque protinus ad suam accurreret.

D

14. Quia

14. Quia patientia est herba , quæ non  
crescit in nostro horto , & si crescit , facile ex-  
arescit , oportet cœlestis hortulani gratiam  
absque intermissione petere , & quidem pe-  
tere per gemitum turturis .

15. Bonâ terrena , si quis ea male acqui-  
rat , male expendat , male retineat , male di-  
ligat , sunt veluti spinæ , & aureum patibu-  
lum , & laqueus : at verò si quis eadem bene  
acquirat , bene expendat , bene retineat , &  
bene diligit , sunt proxenetae gratiæ apud  
Deum & homines .

---

### LOCVS XIII. DE JUSTIFICA- TIONE.

## I.

**V**ocabulum iustificationis in præsente  
nostro arguento est forense seu iudi-  
ciale . Nam & significatio eius est iudicialis,  
& vocabula eidem æquipollentia sunt iudi-  
cialia , & eius contrarium est iudiciale . Prin-  
cipio enim vox hæc notat actum iudicialem  
Psa. 143. v. 2. in quo est debitum Matth. 6. v. 12.  
Reus homo peccator Rom. 3. Testis con-  
scientiæ Rom. 2. tribunal iustitiae & gratiæ  
1. Cor. 5. v. 10. Advocatus Christus 1. Joh. 2. v. 1.  
Judex Deus Act. 10. v. 42. Gratia seu miseri-  
cordia Psalmo 103. & absolutio seu remissio  
peccatorum Psal. 32. v. 1. Deinde vocabula  
æquipollentia sunt solvere Matth. 16. v. 19.  
remittere peccata Joh. 20. v. 23. condonare  
pecca-

peccata Coloss. 2. v. 13. reconciliare 2. Cor. 5. v. 19. Chirographum cruci affigere Coloss. 2. vers. 14. obsignare peccata Deut. 9. vers. 24. abiicere peccata in profundum maris Mich. 7. Ad extremum iustificationi Evangelicæ opponitur accusatio , condemnatio , ligatio , peccatorum retentio , execratio &c. Rom. 5. vers. 6. cap. 8. vers. 33. 34. Matth. 12. vers. 37. cap. 16. vers. 19. Joh. 20. v. 23. 2. Cor. 3. v. 9. &c. Quæ cum ita sint , errant Papistæ , quibus iustificatio est infusio iustitiae , sicut calefactio , dealbatio alboris &c. vel absolu-  
tio à peccatis , & infusio iustitiae inhærentis simul. Quæ posterior sententia iustificatio-  
nem collocat in duobus prædicamentis :  
quia absolutio à peccatis est relatio , iustitia  
inhærens est qualitas.

2. In iustificatione verè tolluntur peccata ,  
quatenus non imputantur , iustitia Christi  
teguntur , & in iudicio Dei non recensem-  
tur. Etenim peccata nostra sunt maculæ , sor-  
des , inquinamenta , quæ eluuntur , absterguntur , emendantur per sanguinem Christi  
I. Joh. 1. v. 7. Deinde peccata sunt vincula , fu-  
nes , compedes , & catenæ , quibus liberamur  
& expendimur per redemtionem Christi I.  
Tum. 2. 6. Tertiò peccata sunt morbi , vulne-  
ra , livores & plagæ , à quib' sanamur p Chri-  
stum medicum spiritualem Matth. 11. v. 26.  
Quartò peccata sunt p̄sentissima mors ani-  
mæ , quā Christus destruxit , & nos vitæ resti-

D 2 tuit,

tuit, adducendo iustitiam seculorum Dan.  
9.v.24. Sed Beccanus hæc quatuor similia pro-  
se citat, & ait, ex nostra sententia sequi, ma-  
culas in nobis manere, nos vincula nostra  
retinere, vulnera & morbos in nobis relin-  
qui, & animam nostram mortuam esse in  
peccatis: quod imputativa iustitia non tol-  
lat malum nostrum, sed tantum tegat, per-  
inde ac si medicus ægrotum pallio tectum à  
velit nostra sententia. Dicimus enim, pecca-  
tum verè tolli, deleri, & exhaustiri in iusti-  
ficatione, quaten⁹ in iudicio Dei censemur  
propter arctissimam illam unionem, quā fit, ut  
Christus, & nos simus una persona. Deinde  
tametsi iustificationem distinguimus ab in-  
fusione iustitiae, à sanctificatione & glori-  
ficatione, non tamen separamus ista tria, sed  
ita docemus: In iustificatione tollitur pec-  
catum, quantum ad damnationem, & non  
imputationem; in sanctificatione, quantum  
ad dominationem; in glorificatione, quan-  
tum ad inhabitationem. Nimirum iustitia  
Christi est vestis purpurea & holoserica, que  
nos legit & ornat & defendit, & præfigura-  
ta fuit per habitum Aharonis Exod. 28. Sed  
nostra iustitia est vestis nivea, que nos ornat,  
at verò non defendit adversus iram Dei. Sed  
inquiunt adversarii, egregiam verò illam  
vestem vestram, qui docet is ex Esa. 64. &  
Phil.

Phil. 3. Bona opera vestra esse pannum menstruatae, & tanquam stercore. Resp. Confunditur hic formalis ratio cum concomitantia, ut disputationes amant loqui. Etenim bona nostra opera formaliter bona sunt, sed per concomitantiam sunt polluta. Cæterum Christus ita est sponsor noster ut non tantum diluat debitum, sed etiam insuper nobis largiatur aurum, margaritas, & omnino opes spirituales: ut ita accipiamus geminum ab ipso beneficium, solutionis & opulentiae, & ditationis. Desinat itaque Beccanus tragicum exclamare, ex nostro dogmate sequi, iustificatos esse similes sepulchris dealbatis, quæ intus plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitie: similes virginibus fatuis, quæ non habent oleum iustitiae in lampadibus suis, existimantes alienum oleum sibi sufficere: Similes hœdis fætentibus, qui ovium numero à pastore censentur: Similes lupis, qui veniunt in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt feræ rapaces. Desinat inquam sic rhetoricari: quia disertè doceamus, nos non reconciliari Deo, quin simul donemur inhærente iustitiâ. Nam neque sine fide iustificamur, & ita iustificamur, ut spe & charitate donemur.

3. Que madmodum Jacob indutus vestimento primogeniti, pro primogenito est reputatus, & benedictionem atque hereditatem à fratre revera obtinuit Gen. 27.

D 3

Ita

Ita nos induiti iustitia Christi efficimur iustitia Dei in ipso 2. Cor. 5. vers. 21. Deinde quemadmodum sacerdoti Jehosuæ Zach. 3. primum vestes fordidæ detractæ, postmodum vestes novæ induitæ sunt, imposita quoque capiti eius psydari munda: sic nos veteri veste peccati ita exuimus, ut splendida iustitia Christi veste induamur Esa. 67. pallium iustitiae. Itaque iustitia Christi et si est extrinseca & aliena, ratione principii & subiecti originarii, intrinseca & propria ratione subiecti adunati: cuius rei imago luculenta est in sole & lunâ. Nam lumen solis proprium est, mutuatitum in lunâ. Nimirum nos sumus corpus Christi, & membra ipsius, & palmites eius, qui sunt in vite, & in quibus est vitis Rom. 12. vers. 5. 1. Cor. 12. v. 11. Joh. 5. vers. 4. itaq; nos per iustitiam Christi sumus iusti, non tantum efficienter seu meritoriè, sed etiam formaliter, quatenus nempe illam iustitiam tanquam vestem nuptialem Matth. 22. & stolam Luc. 15. & bysum puram Apoc. 19. induimus, & nobis verâ fide intimè applicamus.

4. Quemadmodum in sanatione corporis primò requiruntur aliquæ dispositiones & præparations in homine ægrotō, ut purgatio, sectio venæ &c. Deinde sequitur ipsa sanatio, quæ est expulsio ægritudinis, & bona corporis habitudo: ita in iustificatione est præparatio, non vi liberi arbitrii

arbitrii, sed beneficio Dei. Deinde est expulsio peccati, & bona hominis spiritualis habitudo, eaque per meritum & efficaciam Christi. Porro ut sanitas acquisita conservatur per observationem præceptorum medici: ita & hic se res habet. At non sicuti sanitas corporis amittitur per neglegitum præceptorum medici, & nemo certus est quandiu sanus fit mansurus: ita quoque hic est comparatum. Etenim sanitas spiritualis est inamissibilis.

5. Quemadmodum in dealbatione parietis unâ & eadem actione nigredo tollitur, & albedo inducitur. Itemq; in replezione vasis unâ & eadem actione vacuum pellicitur & vas impletur: denique in vestiturâ nuditas unâ eademq; actione tegitur & corpus ornatur: ita in iustificatione abiudicatio iniustitiae nostræ, & adiudicatio iustitiae Christi, seu remissio peccatorum & imputatio iustitiae Christi, fiunt unâ actione, et si termini sunt distincti. Hic perpetuò memineris, Christum esse plenum liberatorem, ita ut non solum nos redimat, sed etiam adoptet: Quemadmodum videlicet maius est beneficium, redimere mancipiū aliquod, & illud redemptum insuper adoptare, quam tantum redimere.

6. Sicut clementia principis donantis, & munus donatum, & manus donum istud accipiens sibi que adiudicans, dicuntur dita-

re: ita gratia Dei, iustitia Christi, & fides salvifica dicuntur nos iustificare. Nimisum sicut manus pauperis apprehendit eleemosynam à divite porrectam: ita fides peccatoris apprehendit iustitiam Christi à Deo patre oblatam. Item sicut olla continet in se thesaurum, & hac ratione hominem locupletat: ita fides comprehendit iustitiam Christi, & sic hominem iustificat. Denique sicut annulus, cuius palà gestat hematitem, dicitur sistere sanguinem: ita fide purificantur corda.

7. Si dicam, solus oculus vidit, non hoc dico, oculus solitarius, vel separatus ab anima, cerebro &c. videt: sed hoc volo, oculus est unicum videndi instrumentum, non etiam alia corporis membra: ita si dicam sola fides iustificat, non hoc dico, fides solitaria sive separata à bonis operibus iustificat: sed hoc volo, fides est unicum instrumentum apprehendendæ iustitiae Christi, non etiam opera.

8. Quemadmodum hæres tenetur officium facere hæredis, non ut mereatur hæreditatem, sed quia hæreditas non datur, nisi sub conditione: ita filii Dei necesse habent studere bonis operibus, quia hæreditas vitæ æternæ promittitur sub conditione bonorum operum. Et propter istam promissio-nem vitæ æternæ dicitur merces hæreditatis Col.3.v.24. cuius hæreditatis fundamentum est Christus Rom.8.Psal.7.

9. Me-

9. Meritum Christi tam pretiosum est, ut qui merita hominum asserere illi velit, perinde faciat, ac si quis pallio pretiosissimo atque splendidissimo holoserico panniculos vilissimos & sordidos ex lanâ soloci & rudi asserere instituat.

10. Sicut merces operariis datur post opus peractum : ita piis vita æterna dabitur post peracta huius vitæ bona opera. Item ut merces debetur operariis ex pacto & iure promissionis: ita & vita æterna debetur nobis. Denique ut merces includit meritum: sic & vita æterna presupponit meritum Christi.

11. Quemadmodum si Rex proponens milie ducatos , hac lege , ut qui primus in stadio ad metam percurrente pervenerit, habeat istud præmium , dici non potest, quod levius ille & brevis labor præmium mereatur: ita vita æterna à cœlesti agonotheta proponitur legitimè currentibus & certantibus.

12. Sicut vinum generosum , saccarum, aroma , non placent , si sint in vase sordido, vel intoxicato: Sic opera in se bona non placent Deo in persona non iustificata. Deinde sicut opus unum idemque , à filio & servo profectum , non aquæ placet patrifamilias: ita non aquæ Deo placent opera reformatorum & non renatorum.

LOCVS XIV. DE LIBERTATE  
CHRISTIANA.

I.

**Q**uemadmodum servitus civilis & corporalis apud Judæos & Romanos erat conditio miserabilis subiectionis : ita servitus spiritualis, quâ facti sumus servi peccati, Satanæ, & omnimodæ vanitatis, est conditio omnium deploratissima. Concurrunt enim hic omnes servitutis miserabiles species, hoc modo. In politicis sunt servi ( id est non liberi ) primè naturâ seu nativitate. 2. ad publica opera , ut ad trimes damnati, adeoque servati poenæ. 3. Qui se in servitutem sponte vendiderunt. 4. Capti ab hostibus. 5. Venditi ab hostibus. Quæ genera omnia concurrunt in homine , postquam excidit statu integratatis , seu primæ vñ libertatis. Atque hæc causa est , quod servitus Ægyptiaca filiorum Israël , & captivitas Babylonica figurarunt hanc nostram servitutem.

2. Apud Romanos tria erant hominum genera , videlicet servi , infimæ conditionis: ingenui , supremæ conditionis, utpote qui nati erant liberi , nec unquam servi erant. Deniq; Liberti mediæ conditionis, quippe qui desierant esse servi , & quos Domini ex coniuncta servitute manumiserant: Eundem in modum Adam integer erat ingenius,

genuus, seu prædictus libertate innocentiae  
Ieu primæva : idem deficiens à Deo , iustâ  
condemnatione factus est servus. At per  
Christum factus est libertus , id est donatus  
libertate gratiæ ( id est iustificatione & san-  
ctificatione ) & gloriæ in glorificatione.  
Nos itaq; sumus liberi non nascendo ( qua-  
les se profitebantur Judæi Joh. 8, vers. 33.)  
sed renascendo : non remissione naturæ,  
sed promissione & manumissione gratiæ.  
Hæc autem manumissio non fit propter  
nostra merita , quomodo apud Romanos  
servi benemeriti manumittebantur : sed  
ex miseratione Dei. Porrò non ut apud  
Romanos ingenui erant potiores libertatis:  
ita etiam in regno gratiæ. Nam hic liber-  
tas gratiæ est potior libertate naturæ , quia  
C H R I S T U S nos liberavit à maledictione  
legis , à necessitate iustificationis quærenda  
per legis præstationem , & à dominatu  
peccati , adeoque à tyrannide Satanae:  
Quem statum felicem C H R I S T U S acqui-  
sivit omnibus membris suis in V. & N. Test.  
& quidem cum auctario perseverantiæ. Ut  
vero simus quoque cives N. Test. Christus  
insuper nos liberavit à iugo ceremoniarum  
legis , ab onere traditionum humanarum,  
quantum ad cultum Dei , & ab onere ini-  
quorum mandatorum. Quare C H R I-  
S T U S nos liberavit ab omni iugo, quia con-  
fregit iugum legis moralis , quantum ad

D E

execra-

execrationem & rigidam exactiōnēm ; iugum peccati , quantum ad dominatiōnēm ; iugum ceremoniarum Mosaicarū , quantum ad observationēm operosam & onerosam ; Jugum denique traditionū Antichristianarū , & impiorū mandatorū .

3. Quemadmodum sepulchri violator fit infamis : ita si quis ceremonias Mosaicas honestē sepultas , postliminiō revocare velit , merito habetur sepulchri violator . Deinde ille erit similis viro adulto , qui crepundiis ludere instituit , & ita repuerascit : item studioso , qui ē carceribus scholarū emissus redit ad prima elementā . Denique quia Christus sustulit parietem intergerinū , & velum templi scissum est , ineptum fuerit augustale Dei & ipsius palatium contrahere , & veluti in casam convertere .

4. Merito insanus habetur , qui ex carcere squalido liberatus petulanter in illum reddit . Sic qui liberatus à Christo , peccatis secesseret , reddit in carcere , ex quo erat dimissus . Semper itaque cogitemus , nostum demum esse liberos , adeoque dominos splendidos , iuxta & potentes , si non serviamus , vel potius nos ippos mancipemus peccatis . Stolidus profectō est , qui servit rei de-teriori . Quare cū simus regale sacerdotium , itemque sacerdotes & reges Dei nostri ,

stri, par est, ut impleamus mensuram huius nominis.

5. Servi apud Romanos dicti sunt, quod cum iure belli possint occidi, a victoribus servabantur: & ideo ipsorum officium erat servare commissa a dominis: ita quia Christus ingenti hoc beneficio nos affecit, ut nos hostie receptos servaverit: officium nostrum est, operam dare huic Domino nostro, eumque colere, amore, honore, subiectione & obsequio. Ita ut ipsis soli sumus addicti & mancipati. Hæc enim omnia infunt in officio servorum. Quare licet nos non sumus servi, quatenus servitus notat ingenium servile vilemque statum: tamen sumus servi officio & cultu: ita enim est ut Apostolus docet Rom. 6. non sumus amplius mancipia peccati, sed milites & servi iustitiae.

6. Libertas Christiana graphicè depingitur Gen. 16. Rom. 9. Gal. 4. in Sarâ & Hagar, Isaac & Ismaël.

7. Quemadmodum subditi praestant homagium seu iuramentum fidelitatis, & quadriu hoc servant, retinent ius civitatis: ita nos astrinximus nos ipsis Deo huiusmodi iuramento, quod quamdiu servavimus, retinemus privilegia filiorum Dei.

## LOCVS XV. DE SCANDALO.

I.

**Q**uemadmodum scandalum est obstaculum viarum, hoc est offendiculum, quod in via ambulante facit impingere, ut cespitet, cadat & claudicet: ita etiam se habet dictum vel factum, quo fit, ut alius inoffenso cursu non perget in via Domini.

2. Quemadmodum lignum in muscipula per se est causa & occasio offendionis: ita scandalum datum praebet alicui efficacem causam lapsus. Atque hanc ob causam dicitur scandalum activum, oritur autem ex facto, auditu, vel per se malo, vel in se adiaphoro, sed intempestive vel facto vel omisso. In illo est duplex peccatum: in hoc simplex.

3. Quemadmodum qui decipulam appetat, non semper decipit bestiam: ita dat scandalum non semper nocet proximo. Sic v. g. Christus dicit ad Petrum Matth. 16. *scandalum es mihi.* Hic utique dictum Petri poterat infirmis esse occasio ruinæ: Christus tamen ideo non impegit. Fuit ergo dictum Petri scandalum datum seu activum: etsi CHRISTUS passivè non impegit.

4. Qui cœco vel puerulo ponit obstaculum in via, vel viatori bono, simplici, & incauto

cauto fodit foveam , aut ponit pedicas , o-  
mnem humanitatem exuisse iudicatur : ita  
qui infirmos offendit omnem Christianita-  
tem deposuisse censetur. Et ideo hoc scan-  
dalum dicitur pusillorum.

5. Sicut lapis angularis in domo non ibi  
collocatur , ut prætereuntes & prætervecti  
impingant , & tamen usu venire folet , ut ex  
incogitantiâ vel petulantia impingant via-  
tores , curlores , aurigæ : ita bonum dictum  
vel factum offendere potest alios. Videmus  
enim mundi sapientes offendî infirmâ spe-  
cie Christi , absurditate doctrinæ Christianæ ,  
cruce Christianorum , dilatatione auxilii  
divini &c: ideo hoc scandalum dicitur Pha-  
risæorum , de quo rectè Bernhardus ait: *Me-  
lius est ut scandalum oriatur , quām ut veri-  
tas relinqatur.*

6. Quemadmodum in corpore humano  
sæpenumero inficit aliud : ita sæpè fit , ut  
in homine regenito manus , oculus , pes &c.  
ipsum scandalizet Matth.6. & ideo scandalum  
rectè dividitur in externum & inter-  
num.

7. Quemadmodum oculus sanus rectè  
apprehendit suum obiectum , nō sanus per-  
peram: ita se res habet in negotio fidei. Qua-  
lis enim est oculus interior , id est ratio sa-  
nata vel corrupta: tale est iudicium de rebus  
bonis , quæ lœtificant bonos & scandalizant  
malos vel infirmos. Deinde sicuti intuenti  
per

per vitrum viride omnia videntur viridias:  
sic præconceptæ opiniones sese habent in  
homine. Denique sicut

*Sincerum est nisi vas, quodcunq; infundis,  
acescit:*

Ita si homo sit malus, male omnia inter-  
pretatur, etiam si optima quoq; occurrant.  
Hinc rectè docent scholæ Theologicæ , q;  
scandali accepti causæ per se sint, ratio , &  
sapientia hominis , ignorantia scripturaræ ,  
præconceptæ opiniones, perversitas & ma-  
litia, ambitio, & avarititia, diaboli excœca-  
tio, & fascinatio, hæreticorum falsa dogma-  
ta, impiorum consilia, authoritas, exempla,  
& calumniæ passim sparsæ. Causa autem per  
accidens, sunt opera recta & honesta, repre-  
hensio & obiurgatio peccatorum , doctri-  
na Evangelii de Christo crucifixo & resu-  
scitato , doctrina de abrogatione legis Mo-  
saicæ , paucitas , obscuritas , humilitas ,  
paupertas , & afflictio illorum, qui sequun-  
tur doctrinam Evangelii , vilitas sacra-  
torum &c. Quod attinet ad scandalum  
datum , illius causæ sunt doctrina falsa, dis-  
fidium doctorum & auditorum , imperitia  
doctorum , species mali , malus intel-  
lectus libertatis chri-  
stianæ.

LO-

LOCVS XVI. DE PRECATIONE.

I.

E Logia precationis sunt , quod appellatur, 1. Clavis cœli seu cœlestis curiæ, camere & cancellariæ. 2. Clamor cordis, qui penetrat nubes. 3. Colloquium cum Deo, & quidem colloquium familiare. 4. Libellus supplex , quem offerimus Deo per advoca- tum nostrum unicū Jesum Christum. 5. Pul- satio ostii paradisi. 6. Scutum in nocturnis terroribus , diurnorum requies , laborum cautela. 7. Pueris ornamētum, senibus solatiū, mulieribus optimus mundus, incipiē- tibus primum elementum , proficientibus incrementum , perfectis firmamentum. 8. Fidissimus nuntius , qui ad Deum præmittit & mandatum suum fideliter & feliciter peragit. 9. Elevatio mentis in Deū. 10. Odor sussitus Deo acceptissimus. 11. Arma Christianorum. 12. Medicina universalis. 13. Ascensio animę de terrestribus ad cœlestia, inquisitio supernorum, desiderium invisibiliū. 14. Oranti subsidium, Deo sacrificium, dæmonibus flagellum. 15. Ignis flagrantis dilectionis, qui cor serenat, abstrahit à ter- renis, mundat à vitiis, sublevat ad cœlestia, denique cor nostrum reddit capacius ad ac- cipiendum bona spiritualia. 16. Consolatio flentium , cura dolentium , sanitas ægrotorum. 17. Animæ remedium , & omnium mise-

miseriarum suffragium. 18. Gemitus columbae sive turturis. 19. Clamor tacitus, & silentium clamans. 20. Oratio, quam Deus scribit in suo commentario. 21. Præcipuum remedium, ne quid contra Dei voluntatem velimus aut faciamus. 22. Alæ devotæ animæ. 23. Oris & cordis ratio. 24. Musica divina, cœlestis & Evangelica. 25. Fortitudo omnium fortissima. 26. Vinculū Dei & animæ. 27. Commune opus electorum angelorum & hominum. 28. Genuflexio cordis. 29. Ars artium: itemque ars facilissima, eademq; difficillima.

2. Quemadmodum respirare nunquam est in tempestivum: sic neq; invocare Deum in spiritu & veritate: idque usque ad extremum spiritum.

3. Sicut Medicus non gratificatur patienti, si male & inutiliter aliquid petat: ut si febricitans roget vinum: & sicut pater filiolos petenti cultrum non dat cultrum, sed librū, libum, saccarum &c: Ita Deus, qui futura, profutura & obfutura providet, non dat q; fine ratione petimus. Ubi diligenter tenenda sunt ista Theologiae practicæ axiomata:

1. Si aliquid aliquando tardius dat Deus, commendat dona, non negat. Nam diu desiderata, dulcius obtinentur; citò autem data sepe vilescant. 2. Servat tibi Deus, quod non vult citò dare, ut & tu discas magna magis desiderare. 3. Si Deus non dat ad horam, exercet querentem, non contemnit petente.

4. Sæ-

4. Sæpe Deus nos non exaudit ad voluntatē, ut exaudiat ad salutē. Sicut enim si quis petat ab amico denarium, & accipiat ducatum, nō patitur repulsam: ita si quis à Deo petat divitias, honores, sanitatem &c. & illorum loco accipiat patientiā, & plus & satius accipit. 5. Quædam à Deo non negantur, sed ut congruo dentur tempore differuntur. 6. Qui orat, interdum misericorditer auditur, & interdū misericorditer non auditur. Quid enim infirmo sit utilius, magis novit medicus, quam ægrotus. 7. Si quid contra rationē salutis petitur, salutare nobis est, non accipere non salutare. 8. Repulsa continuationē debemus evincere precationis cōtinuatione & sanctā importunitate, exēplo viduę Luc. 18. 9. Utilis semper est precatio, si mente fidelifiat, non solum cùm aliquid accipimus, sed & cùm repulsa ferimus. Interdum enim Deus dat, interdū non dat: Utrumq; utiliter: ut sive accipias, sive non accipias, aliquid tamen receperis in nihil recipiendo: utq; impetreris, si ve impetres sive nō impetres in non-imperando. Est enim interdum nō accipere utilias. Nisi enim utile nobis esset aliquando non accipere utilius. Nisi enim utile nobis esset aliquando non accipere, omnino Deus dedisset. Utiliter autem re aliqua excidere, esse quieti est. 10. Quando non accipis, quod petivisti, aut male petivisti, aut mala petivisti: aut in oratione nō perseverasti. Oportet

tet enim ut in precibus sit prima , secunda,  
tertia &c. instantia: seu oportet ut ibi sit re-  
plica, duplica, triplica &c.

4. Ut aviculæ alarum motu & velut re-  
migio in sublime tolluntur : sic vir pius &  
Deum colens, à terrestribus ad cœlestia per  
precationem se ipsum transfert.

5. Sicut vox hominis sine articulatione  
est vox corvorum: sic precatio sine devotio-  
ne est quasi mugitus boum. Nam quid pro-  
dest strepitus labrorum, ubi cor est mutum?

6. Utaqua ignem, ita precatio æstum vi-  
tiorum extinguit.

7. Quemadmodum in citharâ omnes  
chordæ debent consonare: ita in precatione  
& causa, & lingua , & actus, & sermo, & vita  
& cogitatio , debent reclamare.

8. Non leonis rugitus bestias sic fugat, ut  
iusti oratio dæmones.

9. Quemadmodum Cantus galli pertur-  
bat aut fugat leonem, ita precatio Satanam.

10. Quemadmodum boni viri congres-  
sus & colloquium meliorem reddit collo-  
quentem: ita si per precationem cum Deo  
colloquamur, imus de fide in fidem , de vir-  
tute in virtutem.

11. Precatio sine malis est tanquam avis  
sine aliis.

12. Cùm hominum magnatum auxilia  
requirimus, sumptus, pecunia , adulatio, &  
negotiosa tractatio nobis opus sunt. Non  
enim

enīm reātā ipfis dominis licet dare munus,  
aut cum ipfis colloqui , sed necēsum est,  
prius ministros , apparitores , p̄fectos dō-  
mūs , procuratores & consiliarios ipsorum  
munerib⁹ & verbis conciliare , colere . At cū  
Deo non ita se res habet . Etenim nullius nisi  
Christi est incensa , hoc est orationes sancto-  
rū , offerre patri in thuribulo aureo , hoc est  
in magnificā mediatoris maiestate Apoc.8:  
quem locum confer cum Apocal. 5. ubi per  
phyalas aureas intelliguntur corda fide ful-  
gentia : per odoramenta , orationes sancto-  
rum , quæ sunt eō ferventiores , quō illi mā-  
gis laboribus premuntur & in ignem tri-  
bulationis iniciuntur . Denique per carnis  
mortificationem , velut in minutissimum  
pulverem rediguntur . Quare qui orationi  
vacat , non incumbens mortificationi pē-  
inde facit , ac si sine igne arida aromata velit  
accendere . Observa etiam Apocal.5. preces  
sanctorum appellari citharas , nō solū pro-  
pter harmoniam fidei , precationis & reli-  
quorum bonorum operum , sed etiam pro-  
pter lētitiam : Atque hæc causa est , quod ap-  
paratus musicæ Leviticus in V. Test. inter  
alia est symbolum precationis .

13. Qui regem aut principem adeunt  
supplicaturi , quām enīxissimē se p̄parante  
ut non veniant ebrii aut elingues : deinde ,  
clementiam humiliter implorant : denique  
non nūces , aut crepundia , sed res rege aut  
prin-

90 *Ioh. Henr. Alsted.*

principe dignas petunt : idem in oratione  
ad Deum oportet nos facere.

14. Precatio absq; attentione est veluti  
corpus sine anima , & tanquam navis sine  
vento & remo.

15. Non rhetorice sed arithmeticè oran-  
dum : ut qui per additionem peccatorum  
multipliciter offendimus Deum , & divinas  
pœnas multiplicavimus, credamus per divi-  
sionem sanguinis Christi nobis subtrahi o-  
mnes regulas falsi.

16. Quemadmodum sacrificaturi tene-  
bantur offerre pecus mundum & integrum:  
ita qui bene vult orare , adferat cor lotum  
sanguine Christi & præse ferat integritatem  
fidei, spei & charitatis.

17. Moses contra Amalekitas depugnans  
habuit Aarонem fratrem, qui brachia ipsius  
suffulcavit. Eundem in modum Christus  
frater noster nobis orantibus supponit qua-  
tuor columnas , videlicet misericordiam  
patris, satisfactionem suam, cū intercessione  
coniunctam, interpellationem Spiritus san-  
cti, & formulam precandi à se præscriptam.

18. Quemadmodum fervor ignis facit  
aquam ascendere in olla, & fumū in thuri-  
bulo: ita devotio dirigit orationē ad Deum,  
& sicut impetus impellit sagittam: ita gemi-  
tus cordis orationem.

19. Qui orat Deum , & interim in pecca-  
tis strenue pergit , perinde facit, atq; si quis  
regi

regi offerat ferculum in patinā immundā, aut vinum in poculo impūro, aut solvat ipsi censem in monetā falsā, aut diversa fercula in eodem ponat vase, aut gladio evaginato pacem quærat, aut denique conetur vulnus obligare, in quo ferrum adhuc infixū hæret.

20. Sicut aves non possumus prohibere, quo minus prætervolent caput nostrum, at prohibere possumus ne nidum ponant in pileo vel capillis nostris: & sicut muscas abigere possumus, ne nos mordeant: ita seres habet cum cogitationibus importunis inter precandum.

21. Qui rectè orant, Deo offerunt vitulos labiorum: qui non rectè, offerunt labia vitulorum.

22. Qui recitant preces in lingua incognita sunt similes merulis, psittacis, corvis, pisces, & huiusmodi volucribus, quæ sepe docentur ab hominibꝫ sonare, quod nesciunt.

23. Quando oramus contra hostes Dei, sumus inimici cause, sed amici personæ; ut in causis criminalibus & civilibus fieri solet. Deinde oremus, ut pereat opus, sed salvetur opifex.

24. Deus in cultu sui est zelotypus. Itaque rivalem iuxta vel infra se non fert.

*In specie de oratione Dominica.*

25. De oratione Dominicâ notentur istæ similitudines. I. Christus est cancellarius patris, qui omnium optimè novit stylum curiæ

curiæ cœlestis. Itaque ipsius oratio sit idea, norma, forma, mensura, & canon omnium precationum. II. Oratio ista est breviarium Evangelii & litania litaniarum. III. Ut decalogus in duas dividitur tabulas, quarum prior spectat in Deum, secunda in proximū: ita quoque oratio Dominica duabus constat tabulis, quarum prima concernit gloriam Dei, secunda salutem nostram. IV. Oratio hæc est divinum hexachordum. V. Vox *Pater noster*, sive *Abba*, claudit infernum, & aperit cœlum. VI. Deus peculiari modo est in cœlis, tanquam in regiâ suâ & throno: cū terra non sit nisi scabellum pedum eius. VII. Particula *AMEN* est sigillum sive signaculum precationis, itemque tonitru, quo terrentur dæmones. VIII. Quemadmodum laudatur ingenium alicuius & egregia ipsius facta, nomen ipsius honorifice usurpant, ita ut laus niteat in nomine: ita nomen Dei à nobis sanctificatur, quando ipsius naturā, proprietates & opera laudamus affectu & effetu. IX. Sicut in quolibet regno sunt quatuor: Rex, subditi, leges, & executio legum: ita quoque in regno Dei, quod amplificari petimus, ista quatuor concurrunt. X. Sicut artifices præclarri discipulis suis proponunt perfectam normam sive modulum: ita Christus in tertiâ petitione proposuit imitandos cœlites. XI. Quemadmodum tota quidem hereditas pertinet ad liberos, sed cuiq; pro

suâ

occ

nos

Chi

gia

sati

ve

pro

cun

cor

tim

mu

pec

in i

tion

nos

cor

dek

bis

mil

terc

inf

nat

ten

qua

ven

u

suâ quotâ distribuitur, neque tota à singulis  
occupari potest : ita totus hic mundus est  
noster, iure postliminii, quod habemus in  
Christo. Verùm ita ut Deus nobis inde lar-  
giatur, quod nobis alendis & reficiendis est  
satis: Ethic est panis noster quotidianus, si-  
ve nostrum demensum. XII. Sicut pater  
promittens filio suo prædium, hac lege, ut  
cum fratribus & sororibus alat & colat con-  
cordiam, stat promisso: ita cùm nos remit-  
timus peccata proximis nostris, constitui-  
mus Deum debitorem, ut nobis remittat  
peccata, quia nempe hoc promisit. Deinde  
in iisdem verbis est signaculum, à compara-  
tione minoris ad maius, hoc pacto; quod si  
nos, qui micam tantùm & umbram miseri-  
cordiæ apud nos habemus, cōdonamus aliis  
debita ipsorum, quanto magis tu, Deus, no-  
bis remissurus es debita nostra, qui fons es  
misericordiæ? XIII. Sicut pater familiās in-  
terdum tentat filiolum deserendo ipsum, ut  
infirmitatem propriam ipsi ob oculos po-  
nat: ita Deus interdum nos tentat, & hanc  
tentationem non deprecamur, sed illam,  
qua Deus tentat iratus, tradendò hominem  
ventilandum Satanæ. Quare non petimus,  
ut Deus nos non ventilet, sed non si-  
nat ventilari à malo.

\* \* \*

E

LO-

---

 LOCVS XVII. DE PRÆDESTI-  
NATIONE.

I.

**S**icut prædestinatio est providentia spe-  
cialis, ita providentia est prædestinatio  
generalis. Itaque collatio utriusque mul-  
tum adfert lucis, hoc modo. *Principio ita-*  
*que ne cogitetur Deus in decreto provi-*  
*dentiæ & prædestinationis instar fabri cu-*  
*iudam, qui horologium pulchrè concinna-*  
*tum, ponderibus semel elatis, otiosè spe&tat*  
*spatium suum rotarum denticulorumq; ad-*  
*miniculo decurrere: sed potius periti cu-*  
*iudam in morem musici, qui fidibus sic uti-*  
*pulsibus efficiat.* *Deinde* Deus est tanquam  
pater familiæ, qui domui suæ, hoc est mun-  
do & Ecclesiæ, ita providet, ut omnia infal-  
libiliter ordinet & dirigit: id q̄ etiam facit  
nauclerus in navi. *Deniq;* Deus in utroq; de-  
creto non solùm præscit futura, sed etiā me-  
dia constituit, & ea disponit ad suum usum  
& finem: Dissimilis astrologorum, qui mul-  
tis non diebus tantum, sed animis etiam an-  
tē prædicunt solis lunæque labores, quam  
eveniant; ita tamen ut non tantum eos non  
efficient, sed etiam prorsus nihil ad eos con-  
ferant, quo eveniant. Deus aliter præscit  
res, ita nempe, ut illas vel efficiat, vel effica-  
citer afficiat suâ præsentia.

2. Quem-

2. Quemadmodum abyssi fundum explorare non licet : ita prædestinationis rationem perdiscere nulli possumus. Quare immensum sciendi & inquirendi desiderium, & veluti pruritū demergamus in abyssum voluntatis & libertatis Dei, qui sic est *avertitus*, ut etiam sit *παρτεξόστιος*. Si enim in iure civili sacrilegium est disputare de principiis potestate, quid amabò dicemus de potestate Dei?

3. Sicut solem oculis inconniventibus intuentes excœcantur , cuius imaginem absq; læsione in aquâ tanquam speculo naturali est cernere : ita qui decretum prædestinationis extra speculum verbi & speculum executionis intueri aggreditur , seipsum magis ac magis excœcat.

4. Aviculæ quæ avolare conantur ex nidis , antequam plumæ in alas excreverunt, decidunt in terrā , & fiunt præda. Tale quid accedit iis, q vixdū initiati mysteriis religionis Christianæ in cœlum subvolant causasq; electionis & damnationis indagant. Nos itaq; ne in cœlum provolemus prius quam à revelato Dei verbo alas & plumas sumpserimus. Nam doctrina cœlestis optimè & rectissimè dirigit pedes ad Deum currentiū & in cœlū tendentiū. Recte itaq; Bucholzerus: Den Himmel muß man erstlich zu Fuß gehen/ auff Erden anfangen vñ ihme zuvor die Fäder wachsen lassen/ ehe man hinauf fliegen.

Quare Deum eligentem in Christo contemplēmur. Solus enim Christus est scala cœli: in quā unā cum angelis ascendimus & descendimus. Ideo iterum apposite ait Burcholzerus: Wer gen Himmel nicht fliegen kan / der steige zu Fuß hinauff / er hat an Christo eine gute Lenter Joh. i. v. 51. Sunt autem primò hīc audiendi angeli descendētes per hanc scalam; quare scilicet Evangelium de Christo denuncient Luc. 2. Deinde nos aggregemus ad eosdem angelos ascēdentes per hanc scalam & unā cum illis ascendamus fide verā & sanctitate non simulatā. Ita fiet ut nobis dulcescat Evangelium electionis. Semper cogitemus, quod inchoatio vitæ æternæ per fidem & sanctitatem sit annulus medius inter inchoationē vitæ æternæ factam ab æterno per electionem, & inchoationem vitæ æternæ perficiendam post hanc vitam. Non possum quin hic adducam insigne Lutheri dictum in prologo Germanico super Epist. ad Rom: Adam muß zuvor tod sein / ehe er den starken Wein trinke. Darumb sihe dich vor/ daß du nicht Wein trinkest / wann du noch ein Seugling bist: ein jegliche Lehr hat jhre maß/ zeit vnd alter. Hoc vult dicere: quicunque cupit intelligere doctrinam de prædestinatione, servet ordinem, quem Apostolus servavit in Epist. ad Rom: Incipiat itaque peccatum cognoscere ex lege, gratiam iustificationis, &

& sanctificationis ex Evangelio: tum ascendet ad gloriam electionis : & inde iterum descendat ad gratiam sanctificationis.

5. Sicut figurulus ex eadem massâ facit vas ad decus, & vas ad dedecus Rom. 9. ita Deus ex genere humano suâ culpâ misero alios facit vas a misericordia, impendendo illis indebitam misericordiam, alios facit vas iræ, imminendo ipsis debita poena. In qua similitudine observa triplicem protasis & apodosin. Principiò enim sicut figurulus habet eandem massam seu idem lutum : ita Deus in prædestinatione occupatur circa homines æqualiter se habentes ; videlicet suâ sponte in peccatum prolapsos. Deinde sicut figurulus habet potestatem in lutum, & quidem illimitatam, ita nempe ut ex totâ massâ, quanta quanta est, possit facere vas ad dedecus: ita Deus habet potestatem absolutam in homines suâ ipsorum culpâ miseros, ita ut possit omnes reprobare, imò & damnare, quia nempe omnes pariter sunt reprobables & damnabiles. Deinde sicut figurulus ex hac massâ particulâ urceolum, ex istâ matulam efficit, quia sic ipsi placet: ita Deus hunc miserum elit, istum miserum reprobavit, quia sic ei placuit Matth. 11. v. 21. Luc. 12. v. 32. Rom. 9. v. 16. Sicut itaque causa discretionis inter varias eiusdem massâ particulas non est in massâ, sed in voluntate figuli: ita & causa discretionis inter hominem electum

& reprobum non est in homine sed in Deo.  
Porro Deus pnde h̄ic facit, ut paterfamiliās,  
qui titiones in igne iacentes, aut omnes re-  
linquit, aut quosdā relinquit, aut quosdā eri-  
pit: ita Deus nos omnes potuisset relinquere  
sub æstu iræ, sed alios eripuit, alios nō item,  
quia sic voluit. Sicut ergo in civilibus sese  
habet, ut si quis utatur suo iure, nemini fa-  
ciat iniuriam: ita quoque in divinis hoc est  
observandum.

6. Quemadmodum mater infantē sordib',  
scabie, aut morbo affe&tū & infectū diligit,  
non q̄ sit mundus aut sanus, sed ut sit mun-  
dus & sanus: & eundē iam mundum & sanū  
diligit, q̄ sit talis: ita Deus dilexit, non q̄ es-  
semus sancti ex nobis: sed ut essemus sancti  
ab illo: & quando sumus sancti etiā nos dili-  
git: quia sumus sancti per ipsius gratiā. Et h̄ic  
utiliter adhibet p̄veretus illa distin&tio inter  
amorem Dei antecedentē & consequētem.

7. Quemadmodum opilio aut paterfami-  
liās oves suas rubricā signat: ita Deus electos  
signavit sanguine Christi. Sicut autem ovis  
non est ideo opilionis aut patrisfamiliās,  
quia signata est; sed ita signata est, quia est  
opilionis aut patrisfamiliās: ita nos non ideo  
sumus electi, quia sumus signati sanguine  
Christi: sed ideo sumus signati sanguine  
Christi, quia electi sumus.

8. Sicut aqua Siloah vadit sine strepitu  
*Esa. 8.* ita oratio nostra ad Deum, itemq; me-  
dita-

ditatio & omnis dissertatio de Deo & de operibus Dei, nominatim de opere prædestinationis, debet esse humiliſ, exemplo Apoſtoli ad Rom. 9.10.11.

9. Quemadmodum architecti, oratores, poëtae, & omnes omnino artifices, in id omnes nervos ingenii & operæ suæ intendunt: *Primò* ne mediū medio ne discrepet imum: ita in loco de prædestinatione homo Dei dicitur sollicitè cavere, ne hæc doctrina evertat vel seipſam, vel alios doctrinæ Christianæ locos. Quâ in re habemus exemplum Apostoli Rom. 8. ubi v. 29. & 30. necit aurea salutis catenam, in quâ annulus annulum ita capit, ut actiones Dei ante tempora cōpletantur actiones ipsius in tempore & post tempora, nexus tam arcto, ut si unū annulum trahas, omnes sequant̄, si unū demas, omnes dissiliantur. Ut autē hanc harmoniam, & hūc nexum intemeratū conservemus, tria categoria axiomata sunt tenenda. I. In opere prædestinationis omnia Dei attributa reluent. II. Opus prædestinationis optimè consentit cum opere executionis, adeoq; ἐνδονία Dei cum ipſius ὀμηρούμενα & vicissim. III. Doctrina prædestinationis optimè consentit cum praxi legis & Evangelii. Hæc tria axiomata lucē accipiunt ē consequentibus similitudinibus. I. Sicut omnis artifex ſibi proponit scopum & ideam, & ppter scopum ſecundū ideam ita agit, ut ordinet ſuum opus, & non

ordinetur ab illo: ita Deus ab æterno apud se constituit scopum & ideam huius operis, quod prædestinationem vocamus. Scopus eius fuit, modo optimo repræsentare suam perfectionem, perfectionem dico misericordiæ & iustitiae. Idea fuit ipsum iudicium & consilium Dei. Ordinatio fuit, quod alios assumpsit in filios, aliis præteritis. II. Quemadmodum princeps subditis æqualibus dat præmia inæqualia, iis nempe quibus non est obligatus dare ullum præmium: Et sicut homo dives decem mendicis equalibus dat inæqualem eleemosynam: ita Deus hominibus pariter miseris dat inæqualia, dum certos homines, certis præteritis, ad amorem suum æternum & gratiam assumit, & assumendo facit vasa misericordiæ. III. Quemadmodum tu, o homo, iubes obæratum, ut solvat æs alienum, quo tibi est obnoxius, interim non facis habilem solvendo: ita iustis de causis Deus iubet in Lege & Evangelio id, quod non vult ipse facere in reprobis. IV. Sicut apud artificem bonum, quod est in executione, idem est in intentione: ita apud Deum se res habet. Itaque quia Christus offeratur credentibus, ut ipsis sit resurrectio, incredulis, ut ipsis sit ruina: & rursus, quia Evangelium annunciatur credentibus, ut ipsis sit odor vitæ, incredulis, ut ipsis sit odor mortis. Et deniq; quia mysteria salutis prædicantur credentibus, ut videant: non creden-

dentibus, ut videntes non videant, sed per hanc lucem excœcentur: quia inquam, hæc talia Deus facit in tempore, utique iuxta tenorem & formulam decreti sui hæc facit.  
V. Quemadmodum sol occidens non est causa tenebrarum in aëre, sed negat aëri tenebroso suam lucem, ad cuius absentiam existunt tenebræ ex naturâ aëris: ita Deus reprobando homines, adeoque ipsis negando gratiam suam, non est causa infidelitatis positivæ, et si est causa infidelitatis negativæ. Idem est iudicium de induratione, excæcatione, traditione in reprobrum sensum, & similibus Dei iudiciis. Etsi enim Deus non tantum negativè agit, sed etiam positivè: non tamen producit id quod est positivum in peccato, quâ peccatum est, sed id quod est negativum. Atque hoc sensu scribit Lutherus, *ex decreto Dei originaliter fluere, quis credere, & quis non credere debeat.* VI. Quemadmodum decretum Principis dicitur esse ipsius voluntas, neque tamen ideo duæ voluntates Principi tribuuntur: ita quando in Deo voluntas signi à voluntate beneplaciti distinguitur, non duæ in Deo statuuntur voluntates. Nam voluntas beneplaciti est proprietas Dei essentialis, cuius modus est voluntas signi. Quare sicut paterfamilias vult, ut tota familia ipsum colat, & hoc ipso beata sit: aliter tamen hoc vult in filiis suis, aliter in servis: ita Deus vult, ut omnes ho-

E 5 mines

mines ipsi serviant, & hoc ipso beatis sint, sed aliter hoc vult ratione electorum, aliter ratione reproborum. Sed inquis, Evangelium nihil est aliud, quam revelatum Dei decretrum, seu revelata prædestinationis. Quare sicut per Evangelium omnes vocantur: ita decretrum Dei neminem excludit. Resp. Benè est, inquam ego. Sicut enim Deus ab eterno decrevit aliquid nobis facere, aut aliquid à nobis fieri. Sic in Evangelio ostendit, quid nobis, aut in nobis facturus sit, vel quid à nobis fieri velit. Itaq; sicut in tempore gratiam communem offert electis & reprobis simul: gratiam autem specialem confert solis electis: ita communi decreto prædestinationis decrevit communem gratiam, singulare autem decreto electionis decrevit gratiā singularē. Sed hīc nō Plato, sed Paulus iubet quiescere. Si enim ulterius velimus afflurgere, idem nobis accidet qd Augustino, qui cūm hoc mysterium anxie scrutaretur, & ad mare obambularet, visus est ipsi puer, qd cochleari conabatur mare exhaustire: quo ipso indignitas meditationis ei fuit exprobrata.

10. Quemadmodum ii, quibus ius civitatis datur, in albo ciyium adscribuntur: ita Deus nos quibus ex gratiā donavit ius civitatis suæ, inscripsit libro vitæ. Quo nomine appellatur decretum electionis ad vitā eternam Psal. 69. v. 29. Dan. 12. v. 2. Luc. 10. v. 20. Phil. 3. v. 4. Apoc. 4. v. 5. c. 3. v. 8. c. 20. v. 12. & 15. c. 21. v. 27. c. 22. v. 19. Ubi teneatur illud Au-

gustini: Si Pilatus dixit, quod scripsi scripsi,  
quantò magis hoc dicendum est de D E O.  
Cæterum hæc inscriptio figurata fuit per  
pectorale Aaronis, cui fuerunt inscripta no-  
mina duodecim tribuum.

11. Aëterna electio similis est fundamen-  
to firmiter stanti & ædificium sustinenti 2.  
Tim. 2.v.19: itemq; petræ, & latibulo, Cant.  
2.v.14. Nā in eleccione Dei, tanquā in rupe  
inaccessa & immotā, itemq; in latibulo p-  
fundō, Ecclesia delituit, nunc etiam delite-  
scit, & in aëternū ibidem conquietura est.

12. Sicut sigillum literis impressum nos  
manuducit ad sigillū archetypum: ita testi-  
moniū spiritus nostri nos manuducit ad te-  
stimoniuī spiritus Dei. Nam liber vitæ sigil-  
latus est à priori & à posteriori. Sigillum à  
priori est tale: *Novit Dominus qui sunt sui.*  
Sigillum à posteriori est eiusmodi: *Abscedat  
ab iniustiā, qui vult invocare nomen Do-  
mini* 2. Tim. 2.v.19.

13. Si civis, miles, aut studiosus sint inscripti  
matriculæ, nō quidvis sibi permittunt, neq;  
hoc utunq; paralogismo: quia sum⁹ inscripti  
licetēt peccem⁹: sed isto potius syllogismo:  
qa inscriptisum⁹, ne peccemus. Ita quoq; ra-  
tiocinanq; electi ab inscriptione libri vite ad  
inscriptionē legis in corda sui. Quare hīc p-  
inde est, atq; si princeps uni ex subditis pro-  
mittat splendidū palatiū, hāc tamen lege, ut  
via ab ipso præscripta in illud ingrediatur.

14. Signa electionis certissima sunt numero tria, videlicet lucta carnis & spiritus, vindicta sive ultio nostri, & amor cœlestium. Quod attinet ad luctam, & vindictam spiritualem, utriusque effigies est ephialtes, quo qui vexantur, monte aliquo se gravari existimant, veruntamen ita, ut tandem amoliantur id, quicquid est ponderis. Amoris cœlestium viva imago est in Mose, qui delicias Aegypti insuper habens fugiebat ad populum suum. Huic oportet nos esse similes, non autem Esavum, qui iusculum lenticula pluris faciebat, quam privilegium primogeniture: aut etiam Israëlitum, qui cepas & ollas Aegypti præferebant terram Canaan. Quid vero: si haec signa vel non deprehendamus in nobis, vel admodum tenuia esse sentiamus? Resp. Tum cogitemus ista tria.  
 1. Sicut ignis dignoscitur per calorem vel flammatum: ita fructus electionis sentiuntur in gradu remisso vel intenso. 2. Quidam summo mane, quidam circa meridiem, quidam denique sub vesperam vocantur in vicinam Domini. 3. Sicut non sequitur, Sol nondum est ortus, Ergo nunquam orietur: ita de sole iustitiae nobis est cogitandum.

LO-

LOCVS XVIII. DE RESVRRE-  
CTION - CARNIS ET VI-  
Ā ÆTERNĀ?

I.

Celebre est dictum cuiusdam Eremitæ,  
qui aiebat, sequotidie pervolvere librū  
constantem tribus paginis, quarum prima  
sit rubicunda, secunda alba, & tertia nigra:  
prima figurabat sanguinem Christi, secun-  
da vitam æternam, tertia gehennam.

2. Quemadmodum rex aut Princeps fi-  
lium suum creat equitem: nullos alias unā  
cum illo promovet in equites: Ita Deus Rex  
cœli & terræ, quando resuscitavit filium  
suum, dedit nobis spem resurrectionis glo-  
riosæ: idque eò magis, quia Christus est ca-  
put nostrum. Quare si Christus caput Eccle-  
siæ, resurrexit ad vitam immortalem, necel-  
se quoque est totum corpus Ecclesiæ resur-  
gere. Quid verò? Cur impii, qui non sunt  
membra Christi, resurgunt? Resp. perinde  
hic est, ut tempore verno, ubi sol è terrâ e-  
ducit & rosas & spinas, illas ad decus, has ad  
ignem.

3. Resurrectio carnis adumbratur ima-  
ginibus, quæ naturalibus, quæ artificialibus.  
Imagines naturales sunt semina, quæ prius  
moriuntur, & postea vivificantur. Item Phœ-  
nix avis, quæ se ipsam comburit in cineres,  
unde postea reproducitur: item herbæ &

E 7 arbo-

arbores, q̄ tēpore hyberno velut emortuæ, reviviscunt novo v̄ere: itē rugit<sup>2</sup> leonis, quo suscitantur leunculi. Imagines artificiales sunt vitriarii ac metallurgi: quorum illi de cinerib<sup>2</sup> faciunt purissimum vitrū, vitrumq; fractū liquefaciunt & reformant, hi exterrā sive poti<sup>2</sup> lapide eliciunt metalla vi ignis. Quod postremum simile maximè facit ad rem. Etsi enim corpore hominū discerpuntur, dilaniantur, resolvuntur, distrahuntur infinitis modis: Deus tamen vi ignis (quē appellamus instauracionis & novae creationis) omnia homogenea congregabit in ultimo iudicio, q̄ quidē fiet absq; difficultate, quia sicut D̄eu s numeravit capillos nostros, sic quoq; atomos corporū nostrorū resolutorū novit quām distinctissimē instar patris familiās, qui supellestilia sua novit ad unguem.

4. Cūm paterfamiliās moritur, tota familiā deponit consuetum ornatum, & quisque induit veste lugubri: Sic appropinquante fine seculi omnes creaturæ ostendent signa doloris Luc. 21: nēpe ut homo moribundus cūm amittit vocē signis loquitur, & nō verbis: ita mundus in fine suo nobis loquetur p̄ varia signa. Porro quando rex infert bellum hosti suo, omnes ipsi<sup>2</sup> subditi cōmoventur & armant, & ex illis aliqui p̄mittuntur, q̄ succēdant terras inimicorum: ita rege cœli exsur gente ad iudicandū vivos & mortuos, Angeli, cœli, & aliæ creaturæ erunt p̄stō, nomina-

tim

tim ignis quidā mirabilis, qui alias creaturas plane exuret, alias renovabit: quomodo videmus aurifabrum uno eodemq; igne scorias consumere, & aurum perpurgare, vel vasa argentea vetera renovare.

5. Sicut acumen gladii dum est in vaginā ignoratur, ita in hac vitā iustitia & potentia Dei in vaginā misericordię absconduntur. Sed in fine seculi Deus potentiae & iustitiae suae gladium vibrabit adversus reprobos remotā misericordiā. Item sicut fervor solis nō sentitur, si cœlum nubibus sit obductum: ita iustitia in his terris fermè tegrur nube misericordiæ, quā in ultimo iudicio sublatā exardescet iustitia Dei in immensum.

6. Quemadmodum virtus radicis tempore hyberno non sentitur, sed demum aestate & autumno: ita in fine seculi misericordia Dei plenè sentietur à beatis.

7. Christus veniet ad iudicium sicut fulgur exit ab oriente, & patet usq; ad occidente, & sicut fur in nocte: itaq; lumbos nostros perpetuo præcinctos & lampades perpetuo accensas habeamus.

8. Forma ultimi iudicij Matt. 25. exprimit hypotyposi, illustris figurā pcessus forensis iudicialis, in quo sunt personæ, videlicet iudex, actor, reus, & testis, itē merita personæ & causæ: & deniq; causę cognitio, sententia dictio, & executio eiusdē. Cognitio causa exprimit Apoc. 20. libroru tanquā alicui protocolli aptione, quā quidē apertione signi-

ficatur applicatio omniscientiæ Dei ad conscientiam cuiuslibet hominis. Itaque ibi non erit opus longo sufflamine litis , seu longâ inquisitione , quia sola & unica conscientia unico actu omnia perficiet.

9. Christus in ultimo iudicio non solum erit iudex, sed etiam Advocatus electorum. Sicut autem proprium Advocati officium est, ambigua causarum fata dirigere , lapsa erigere , & fatigata reparare : ita Christus hoc totidem ut electis suis in hac vitâ praestit semper , sic eadem quoque praestabit in hoc iudicio.

10. Quemadmodum in iudicio forensi allegantur opera: ita quoque accidet in ultimo iudicio. Nam ibi impii iudicabuntur secundum & propter opera sua : hi verò secundum opera , sed non propter opera , ratio est: quia libri conscientiarum in ultimo iudicio aliter atque aliter aperientur. Nam libri conscientiarum in impiis aperientur manu & clave iustitiæ Dei: at libri conscientiarum in electis aperientur manu & clave misericordiæ Dei. Itanempe, ut electi liberum conscientiæ suæ legant in libro vita

*Apoc. 20. v. 12.*

11. Fatuus est, qui citatus à iudice competente , testes bonos occidit in viâ , & adducit contra se alios testes: ita & nos sumus fatui, si malos testes contra nos adducimus,

hoc

hoc est, mala opera , & bonos testes, id est bona opera in viâ occidimus per peccatum.

12. Quemadmodum olim hostes Ecclesiæ Israëliticæ in valle Josaphati , hoc est in conspectu Ecclesiæ Hierosolymitanæ sunt occisi : ita hostes Dei & filiorum Dei iudicabuntur in valle Josaphati , id est in conspectu cœlestis Hierosolymæ, id est Ecclesiæ Joël.3.

13. Imago Dei ante lapsum erat integra sed amissibilis : per lapsum est destruxta & corrupta, sed cum spe instauracionis: in statu gratiæ instauratur per Christum : in statu gloriæ est consummata & perfectè restituta : in inferno est planè destruxta & abolita, idque absque spe restaurationis. Itaque vita æterna nihil est aliud, quam imago Dei semper manens, implens mentem luce , voluntatem conformitate cum Deo , cor lætitia , corpus gloriæ & impassibilitate , sensus omnes hilaritate &c. E contrario mors æterna est ira Dei manens , ita ut ibi sint mala privativa & positiva , sicut in vitâ æternâ sunt bona privativa & bona positiva. Mala privativa privatio lucis in mente , conformitatis in voluntate , lætitiae in corde &c. Positiva mala sunt odium Dei , desperatio liberationis , fremitus , στρογγυλεία &c. Hinc est, quod scriptura vitam æternam depingit variis tum similitudinibus tum etiam typis. Similitudinibus , ut quod eam comparat cœnæ

110. *Ioh. Henr. Alsted.*

cœnæ opiparæ, nuptiis regiis, paradiſo, fi-  
nui, hæreditati, regno, coronæ, mercedi,  
refrigerationi &c: typis, ut templo Salomo-  
nis, urbi Hierosolymæ. Similiter morte æ-  
ternâ variis similitudinibus quoq; exprimit:  
ut quando comparat eam vermi non mori-  
turo ppter dolorem conscientiæ, morti &c.  
Ubi diligenter tenenda est regula: Quædam  
de vitâ & morte æternâ dicuntur pþriè tan-  
tum, ut nuptiæ: quædâ propriè & impropriè  
simul, ut lux, tenebræ &c. Hic iam quæritur  
de igne inextinguibili, cuius sacra scriptura  
meminit, an ille sit pþriè dictus? Resp. Quia  
corporum cruciatus acerbissimus est, igne  
perpetuo uiri, iustitia Dei postulat, ut hic  
cruciatus locum habeat in corporibus dæ-  
mnatorum.

14. Si universus mundus mare esset, & sin-  
gulis decē millibus annorum avicula ex eo  
biberet unicum saltem guttulā, exsiccare-  
tur tandem aliquando istud mare. Item si uni-  
versus mundus esset mons, & singulis denis,  
vel centenis annorum millibus avicula inde  
pulvisculū auferret, tandem aliquando mons  
ille auferret. Verum n. verò innumerabiles  
annorū millions præterirent antequā hoc  
utrumq; fieret. Hinc iam utrumq; æstimare  
est, quid sit æternitas in cœlo & in inferno.

15. Omnes electi in vitâ æternâ fulgebunt  
tanquā sol, quatenus æqualiter coruscabunt  
radiis Christi. Sed quemadmodum in hac  
vitâ

vitâ coronati fuerunt in equalib<sup>o</sup> donis gratiæ: ita in alterâ vitâ coronabuntur in æqualibus donis gloriæ, 1. Cor. 15. v. 40. & 41. Hoc solent adumbrare similitudine vasorum magnorum & parvorum, quæ in aquam demersa impletur, sed quodq; pro sua capacitate,

16. Quemadmodū mater prudens infans absynthii amaritudine ab uberibus depeccat infantis bono. Ita Deus felicitatē huius seculi ppetuis interpellat ærumnis. Hic nostri est officii imitari illos, qui felleū aliquid biberunt. Ut n. isti saccaro aut melle nauſeā & acrimoniam oris corrigunt: ita cum Deus nobis propinat calicem passionis, adeoque spongiam acetō impletam, cogitatione vite æternæ tanquam saccaro temperemus illam amaritudinē. In vitâ inquam & morte lœtemur vitâ æternâ, eiusq; consideratione nos solemur. Nihil enim ad consolationē dulcius & efficacius est, quam πληροφορία fidei lœto pectore exclamantis, *Credo vitam æternam.* Sed hic cogitemus illud Bucholzeri: ô felices nos, 1. Si tam de vitâ æternâ, quam de vitâ longâ simus solliciti! 2. Si tam fugiamus peccata, quam morte! 3. Si ita displiceamus nobis in vitâ, ut nobis displicere incipimus in morte!

---

LOCVS XIX. DE ECCLESIA.

I.

**E**cclēsia est corpus Christi mysticum, cuius ipse est caput ratione unitatis, dignitatis,

tatis, in fluentiæ, directionis, coniunctionis & defensionis. Deinde ut in uno corpore sunt plura membra, quorum operationes sunt variæ, sed informatio & vivificatio una: una item compassio, & mutuum auxilium, ita hæc omnia in Ecclesiâ videre est Ephes.4.v.11.& 1.Cor.12.

2. Ecclesia est sponsa Christi Psalm.43. quia ipsi primo despondetur: Deinde ab eodem domum deducitur. Desponsatio fit per fidem, proxenetæ sunt pastores, arrha est Spiritus sanctus. Porro Christus hanc suam sponsam ardenter diligit, eamque ornat, vestit & defendit: dum ipsam partem facit nominis, honoris, dignitatis & bonorum suorum, vicissim hæc sponsa fideliter adhæret sponso suo Christo, sincerè illum diligit, & promptè ipsi obsequitur. Deductio sponsæ huius fit, quando in cœlestem thalamum introducitur. Cæterum Ecclesiæ tribuuntur vulgo ubera duo: quibus fideles nutrit: ista verò duo ubera sunt duo testamenta. Ecclesia dicitur regnum cœlorum Matth.3.v.20.

3. Regnum dicitur, quia Christus ibi est Rex: Electi sunt subditi, quia præstant huic regi homagium: optima enim hic est administrationis forma, quippe monarchica & patria dicitur regnum cœlorum, quia regimen & bona huius regni sunt spiritualia & æterna.

4. Ec-

*Loci communes Theologici.*

113

4. Ecclesia est civitas Dei Cantic. 3. v. 2.  
Apoc. 11. v. 2. Quia ut civitas est communio  
multorum certis legibus devincta, certoq;  
magistratui subiecta. Et cives ipsius gau-  
dent communibus legibus, & ipsa civitas  
moris constat & ipsa manet una, ipsis homi-  
nibus sibi invicem succendentibus, ista hæc  
omnia insunt in Ecclesiâ.

5. Ecclesia est domus Dei Psalm. 22. v. 4.  
Nam struitur ex vivis lapidibus: qui naturâ  
sunt impolluti, sed à Spiritu sancto expo-  
liuntur limâ lucis & crucis: ita ut imponan-  
tur & inserantur lapidi angulari, qui est JES-  
US CHRISTUS firmissimum huius do-  
mus fundamentū. Porrò in hac domo Deus  
habitat tanquam paterfamilias, ibique fa-  
ciem suam ostendit. Denique in hac domo  
sunt varia vasa 2. Tim. 2. v. 12.

6. Ecclesia est vinea Domini Psalm. 80.  
Esa. 3. & 5. Matth. 20. & 21. Nam Deus nos  
qui naturâ sumus sylvestres & degeneres,  
translatos in vineam suam, inserit Christo  
tanquam palmites viti, ut succum ex eo tra-  
hamus, & fructus gratos feramus. Deinde  
ut in vineâ plurimi labores exantlantur à  
diversis hominibus: ita etiam in Ecclesiâ.  
Porrò ut ex vineâ habemus optimum suc-  
cum: sed non absque torculari: ita & in Ec-  
clesiâ sunt variæ tribulationes, absq; quibus  
fit, & vinum non exprimitur. Deniq; ut vi-  
nea

nea defenditur contra vulpes & apes : sic Ecclesia contra hæreticos & tyrannos.

7. Ecclesia catholica est virgo in integritate fidei & mater visceribus charitatis Ecclesiae particularis , & ipsa potest esse virgo: verum ita ut possit fieri meretrix. Quod quidem evenit Ecclesiae Romanæ imprimis Anno Christi 600.

8. Ecclesia variis ornatur elogiis in canto canticorum. Appellatur enim lilyum inter spinas , propter præstantiam & afflictiones : unica Christi, propter dilectionem & cognationem : columba, propter simplicitatem & puritatem & gemitus perpetuos: Soror Christi, propter necessitudinem spiritualem ; hortus , propter arbores fructiferas & arculas aromatum , id est divisiones charismatum : hortus conclusus , propter defensionem & invisibilem perfectionem: fons, propter rivulos gratiarum : fons signatus, scilicet incredulis: acies ordinata castrorum, propter continuam militiam : aurora, quia in hac vitâ non habet lucis suæ plenitudinem: luna , propter incrementa & decrementa : Sol, propter splendorem veritatis in eâ lucetis: Filia Principis, quia est ex Deo genita per verbum : Nigella propter æstum afflictionis: Denique Sulamitis & q. d. Salomonæ id est cœlestis Salomonis sponsa: pacifica , nempe ad exemplum regis sui pacifici.

9. Ec-

9. Ecclesia est columnæ & stabilimentum  
veritatis i. Tim. 3. quia est instrumentum re-  
tinendæ veritatis , utpote quæ præconio  
celebrat , quamque sinceram conservat:  
quæ denique ad pastores transmittit. ( Fo-  
rensi ratione appellatur stabilimentum.) A-  
lioqui dicitur columnæ , architectonica vel  
politica ratione.

10. Typi Ecclesiæ hi sunt: 1. Paradisus , in  
quo Christus est arbor vitæ , caro concipi-  
fcentiæ versus spiritum , & arbor scientiæ  
boni & mali: arbores fructiferæ sunt sancti,  
fructus sunt opera ipsorum. Quatuor flumi-  
na sunt scripta Mosis , Prophetarum , Evan-  
gelistarum & Apostolorum. 2. Arca Noë, ex-  
tra quam nemo poterat servari, cuius ideam  
ipse Deus Noach præscripsit, in quam Noa  
intravit iuslus à Deo : quæ in mediis undis  
fuit conservata , in qua pancifuerunt : quæ  
habuit varias mansiunculas , varias Eccle-  
sias particulares. 2. Notant varia dona Spi-  
ritus sancti in Ecclesia. Mansiunculæ in  
quibus fuerunt animalia munda & immun-  
da, notant Judæos & gentes Act. 10. Proba-  
tur hoc ratione dignitatis, quæ fuit constru-  
cta ex lignis imputribilibus , cuius denique  
fabri non salvati sunt in ipsâ. 3. Vocatio  
Abrahæ ex Psalm. 3. Chaldæorum exterrâ  
idololatricâ in terram Canaan, id est in terrâ  
promissionis. 4. Rubus ardens in deserto ,  
quitamen igne nō absu[m]ebatur, quo signi-  
fica-

ficabatur Ecclesiam Israëlitarum uri quidem igne tribulationis in Ægypto, neque tamen posse consumi. 5. Domus Israëlitarum in quibus lux erat, cùm horribiles tenebræ operirent universam Ægyptum. Et quarum postes erant asspersi sanguine, ut transiret angelus interfeitor. Tabernaculum Mosis in deserto, quod erat portabile, in quo erant arca & tabulæ federis, item propitiatorium & Cherubim, in quo offerebantur sacrificia: sic debemus offerre sacrificium *ιδασικὸν*: nempe oblatione spirituali & fide verâ, non externâ & corporali: in quo erat apparatus magnificentissimus. 7. Templum Salomonis, quod à Salomone fuit ædificatum, & quidem magnificentissime. 8. Hierosolyma quæ erat sedes regni & sacerdotii, sita in montibus & miraculum mundi.

II. Allegoriæ ac parabolæ N. T. hic pingunt nobis Ecclesiam. 1. Mons qui eminet, atque firmus est. 2. Navis, in quâ Christus vehitur, in quâ sunt varii labores, quæ deniq; tuta manet in mediis fluctibus. 3. Ovile; quod ut sit contemptum, tamen oves defendit contra omnis generis iniurias, nominatim contra lupum. 4. Ager; in quo nascuntur triticum & zizania. 5. Sagena; quæ concludit omnis generis pisces. 6. Illustrissima Ecclesiæ pictura est Apoc. 12. ubi est mulier amicta sole, hoc est induita perfectione Christi. Sub eius pedibus est luna: quia Ecclesia

clesia catholica despicit & pedibus conculcat omnia terrena: in capite eius est corona duodecim stellarum, id est, doctrina Apostolica. Hæc mulier clamat dum parturit: quia parturit pios non sine summis doloribus tempore persecutionis. Ante hanc mulierem parientem stat Draco, id est Diabolus, ut absorbeat pios: Verum excidit suo ausu. 7. Ecclesia triumphantis magnifica pictura est Apoc. 21.

12. Apud veteres doctores occurunt hec encomia Ecclesiae: Ecclesia est Christi curia: depositarium divinum: mater nostra, cuius mamillis nutrimur ad vitam eternam: filia & coniux Christi: Synagoga Dei: Læcerna bauulans lumen Christi: verum Dei templum: fons veritatis: Domicilium fidei: mater viventium: civitas regis magni: Sion spiritualis: mater & matrix religionis: nidorum Dei: officina Spiritus sanctis: Schola gratiae & gloriae: denique Scala Jacobæa, quatenus una ipsius pars est in terris, altera in cœlis.

13. Ut hactenus allatae similitudines, & aliæ ipsis similes, rectè applicentur: sequentes regulæ teneantur. 1. Ecclesia est una suâ essentiâ seu specie; & quatenus catholica est invisibilis est: quia Κορόλη in sensu non incurrit. 2. Ecclesia particularis & ipsa est invisibilis: quatenus vel latet: vel complectitur verè credentes. 3. Ecclesia catholica

F in

118      *Ioh. Henr. Alsted.*  
in ultimo iudicio erit planè visibilis. 4. Ecclesia catholica in se invisibilis per visibiles illas inter se distinetas, sed fide unitas immo unius est dispersa, ita ut in hac visibili colenda, invisibilis proponatur credenda. Quare ut universalia in suis singularibus: ita Ecclesia catholica in suis particularibus existit. 5. Elogia, quæ summa perfectionem notant, aut Ecclesiæ catholicæ competit: ut quod sit sine ruga: aut Ecclesiæ triumphanti, ut quod in eâ non sit templum. 6. Elogia Ecclesiæ, quæ imperfectionem aliquam præse ferunt, tribuuntur Ecclesiæ particulari: ut quod sit sagena. 7. Unum idemque elogium sèpè tribuitur Ecclesiæ catholicæ primariò, particulari secundariò: ut quod sit columna veritatis. 8. Unum idemq; elogium pro diversâ accommodazione tertii tribuitur Ecclesiæ universalí & particulari, ut quod sit arca Noë. 9. Unum idemque elogium sèpè tribuitur Ecclesiæ triumphanti & militanti: ut quod sit sponsa.  
14. Ut in sanitate corporis, itemque in morbis dantur quidam gradus: ita in Ecclesiâ sunt gradus puritatis & impuritatis. Sicut enim sanus dicitur non tantum qui exquisita sanitate fruitur, sed is quoque qui virtutem functiones sine aperto impedimento potest obire: ita Ecclesia pura est, quæ fundamento suo, id est prædicationi verbi & administrationi sacramentorum superædificat auctum,

rum', argentum & lapides pretiosos: impura est, quæ isti fundamento superstruit fænum, stipulas &c. 1. Cor. 3. Nam verbum est veluti pons ad vitam æternam, qui instrutus est duobus sacramentis tanquam duabus ansis. Sed pons ille una cum suis an sis ab aliis relinquitur in suâ simplicitate: ab aliis autem propter nimiam, ut illi putant, simplicitatem, variis & putatitiis fulcris, itemque ornamentiis oneratur potius quam honoratur.

15. Quemadmodum triticum sæpè latet inter paleas: ita vera Ecclesia persæpe latitavit in Ecclesiâ degenere; idquæ in Ecclesiâ V. & N.T. Hinc V.T. tres occurruunt ecclipses Ecclesiæ. Prima fuit sub Noacho, quo frustrâ concionante universalis extitit apostasia. Secunda fuit tempore Eliæ, & deinceps, invalescente Samaritanismo. Tertia ecclipsis fuit sub Antiocho Epiphano, & deinceps usque ad Christum, quando Pharisæi in cathedrâ Mosis sedentes ex lege Dei contra legem docebant. In N.T. similiter sunt tres ecclipses Ecclesiæ. Prima fuit sub Ariani, post Constantini Magni tempora Anno Christi 350. Secunda est inde à tempore Bonifacii tertii & Mahometis usque ad Lutherum. Tertia erit paulò ante finem seculi, quando incipiet bellum Gog & Magog. Merito itaque Ecclesia appellatur ab Esaiâ *vermiculus Iacobi*, & à Christo *pusillus grex*.

F 2

U

Ut ut autem Ecclesia degener obscurat veram Ecclesiam, semper tamen in verâ Ecclesiâ sunt tria hominum electorum genera, videlicet infantes, testes veritatis, & occulti Christiani.

---

### LOCVS XX. DE MINISTRIS ECCLESIAE.

## I.

**Q**uemadmodum ad horti culturam re- quiruntur plantatio, rigatio, & cœli elementa: ita hæc tria debent concurrere in Ecclesia. Paulus nempè qui plantat, Apollo, qui rigat, & Deus, qui dat incrementum i. Cor. 3.

2. Pastores Ecclesiarum in scripturis verè hieroglyphicè appellantur 1. *Tuba*; quia ut tubæ sonitu milites ad prælium inflamman- tur, ita concionatoris vox debet excitare populum ad spiritualem militiam. Tuba etiam terrorem incutere solet: ita pastor peccatores rebelles debet terrere, adeò quidem, ut prædicatione verbi Dei tanquam clangore tubarum concidant muri Hierichuntis. Sicut enim tuba tantisper sonat, quamdiu tubicen flatu suo eam implet: sic verus administer verbi Dei ea solummodo dicit, quæ Spiritus sanctus cordi & ori eius ingerit. 2. *Canes*; non muti (tales enim pa- stores sunt mercenarii) sed generosi & vigi- laces, quorum natura est in ædibus Domini

con-

contra fures , vel ad ovile contra lupos excubias agere. Hinc veteres dixerunt Evangelii præcones ab Esaia appellari canes , ob latratum prædicationis, odium luporum , & custodiam fidelem. 3. *Boves*; qui triturare debent , & quibus os non est obligandum. 4. *Prefecti nationum & regnum* ; ut illa extirpent , destruant , ædificant , plantent , prædicando nempe aliis ruinam , aliis incolumitatem. 5. *Vasa testacea* ; in quibus exhibetur nobis thesaurus cœlestis. 6. *Oeconomia Dei*, seu mysteriorum Dei; qui per illos dona sua distribuit suis domesticis, ad communem totius domus ædificationem. 7. *Patres spirituales* ; quia prædicant verbum , quo ut semine regeneramur , & ut lacte teneri nos nutrimur , & ut cibo nos adultiores corroboramur & augescimus. 8. *Vigiles*; quia excubant pro salute cum Ecclesiæ, tum animæ cuiusque. 9. *Speculatorès*; qui in specula exploratoria constituti observant actiones amicorum & hostium. 10. *Conflatores*; qui igne verbi Dei conflant durissima & chalybia corda. 11. *Angeli*; quia sunt legati Dei. 12. *Episcopi*; quia ut Athenienses suos legatos , quos ad varias civitates mittebant , ut quomodo sese res ibi haberent, inspicerent, Episcopos vocabant: ita in pastoribus requiritur attentio, inspectio , diligentia , & procuratio eorum , quæ sunt necessaria. 13. *Presbyteri*; non ob ætatem, sed ob senilem

prudentiam. 14. Fermentum; quia Ecclesiā debent urgere, ut fermentū urget massam. 15. Salterra; quia vi verbi Dei præservant animas à putredine. 16. Lux mundi; quia ostendunt & ministrant veram lucem. 17. Servi Dei & Christi; ob fidelitatem & dignitatem. 18. Pastores, & pastores *animarum*; quia ipsis concreditæ sunt oves Christi. 19. Servatores; quia sunt administrī salutis. 20. Cooperarii Dei; quia Deus illos dignatur assumere in unitatem operis. 21. Viri & homines Dei; quia à Deo sunt peculiariter electi, ut res ipsius current. 22. Messores; quia ut plantant, & rigant, ita quoq; metunt uberrimam messem in Ecclesiā. 23. Milites, qui semper sunt in acie & pro cinctu. 24. Promiscendi, id est, boni patres familiās, & thesaurarii, qui ex thesauro suo promunt vetera & nova.

3. Multæ qualitates sacerdotum fuerunt typi N.T. hoc modo. 1. Sacerdotes abstinebant à cadaveribus etiam propinquorum: non debebant esse claudi, sed manibus & pedibus expediti: non gibbosí: non naso absurdo prædicti: non lusci, aut cæci: deniq; non scabiosi. Eodem modo pastores officium suum debent anteferre charitati suorum: imò debent se abstinere à curis mundanis: debent esse expediti ad doctrinam sanam & vitam sanctam: non debent suffocare in se dona Dei: debent esse naris emūctæ, id

Ctæ; id est prudentes; non patientur se muneribus & honoribus excœcari, ut vel conniveant vel nihil videant: denique debent vitare scabiem traditionum humanarum. Præterea ut sacerdotes V. Test. obtulerunt sacrificia typica: ita pastores N. T. debent offerre sacrificia mystica, partim repræsentando sacrificium Christi, partim auditores suos Deo devovendo. Denique ut Aaron induitus togam suam tintinnabulis instruçtam edidit gratum sonitum, ita pastor harmoniâ doctrinæ & vitæ suæ debet oblectare Deum & auditores.

4. Impositio manuum habet quadruplicem utilitatem in ordinatione ministri. 1. Ipsam peculiariter conservari Deo & sacris usibus illius usq; & totum & tantum debere esse addictum. 2. Authoritatem illi tradi in Ecclesiâ docendi, sacramenta administrandi, solvendi & ligandi peccatores. 3. Dona Dei communicari à Spiritu sancto, necessaria nempe ad tanti muneric administracionem. 4. Hunc ita consecratum curæ & protectioni Dei commendari, qua adversus omnia impedimenta perfest ad extremum usque in huius sancti officii functione.

5. Ut in V. T. erant sacerdotes, qui docebant: Synedrium, quod mores regebat: Levitæ qui in cultu externo divino sacerdotibus inserviebant: ita in N. T. sunt pastores, qui in verbo, seniores, qui in censurâ morū,

& diaconi, qui in curâ bonorum Ecclesiasticorum occupantur. Deinde quemadmodum in V. T. sacerdotibus maximè in officiis cessationibus Prophetæ immediate & extraordinariè à Deo vocabantur: Ita quoque Novum Testamentum habet suos Prophetas.

6. Sicut in regno à tyranno eiusque predonibus liberato , decurso intermedio tyrannidis spatio , posteriores legitimi regis ministri, prioribus , ad illud instaurandum, surrogantur: aut sicut in corpore æ gri convalescentis , posterior sanitas priori, sublati prius subsecutæ luis contagio , substituitur &c. ita in Ecclesiâ degenerè , sublati falsis doctoribus , veri doctores succedunt legitimè.

7. Sicut qui magistratum civilem iure cupit obire', debet prius literas creditivas seu fiduciales à Principe suo exhibere : ita literas vocationis suæ ostendere debet ; qui ordinariè vocatur ad munus pastorale in Ecclesiâ iam constitutâ & bene fese habente. Sed in extraordinariâ vocatione, ubi à nullo vocante aut ordinante literæ adferri possunt , satis est, si ex instinctu divino, heroico spiritu, aliquis Ecclesiam constituat, veliam iam peritoram servare studeat.

8. Non est bonus architectus , qui vnâ manu extruit, alterâ destruit. Hoc autem facere

*Loci communes Theologici.* 125  
facere censendi sunt illi pastores , qui bene  
docent, & malè vivunt.

9. Qui ex stipulis construit domum, me-  
ritò debet ludibrium. Hoc enim faciunt  
pastores, qui ex levibus traditionum huma-  
narum stipulis, & non ex solidis scripturæ  
lignis conantur ædificare Ecclesiam.

10. Coniugium est schola omnigenæ  
virtutis, & umbraculum infirmitatis huma-  
næ. Itaque non rectè faciunt pastores , qui  
hanc hierarchiam damnant impunitatis, ei-  
que præferunt coactam virginitatem.

---

## LOCVS XXI. DE DISCIPLINA ECCLESIASTICA.

### I.

**Q**uemadmodum hortus absque sepe &  
maceria non potest consistere; ita nulla  
vitæ humanæ societas, adeoque nec Ec-  
clesia potest conservari sine disciplina. Rur-  
sus ut domus sine tecto non potest esse tuta  
adversus iniuriam aeris: ita nec Ecclesia po-  
test vigere absq; disciplinæ exercitio. Hinc  
verbum Dei, rectè dicitur Ecclesiæ funda-  
mentum , & disciplina Ecclesiastica ipsius  
tectum. Denique sicut Salomon dicit, verba  
Doctorum esse hastas & clavos , ita hoc ad  
disciplinam Ecclesiasticam imprimis perti-  
net Ecclesiast. 12. Ideo rectè dicunt Theolo-  
gi, disciplinam Ecclesiasticam & doctrinam  
sacram sibi esse mutuas causas.

F 5

2. Sicut

2. Sicut pastor non multum utitur pedo & cane, fistula vero & voce plurimum. Item ut Parentes & præceptores primò hortantur & promittunt, deinde minantur & virgam ostendunt. Postremo, virginem adhibent, & illam si affulgeat spes emendationis abiiciunt, vel etiam planè comburunt, sic in disciplina ecclesiastica oportet gradus adhibere iuxta canonem five formulam, Matth. 18. Porro oportet gradus istos subinde iterare, & omnino severitatem aliquam ostendere. Quia Christus Joh. 21. ter dicit ad Petrum *pasce*. Denique Christus duabus ibi utitur dictiōnib⁹, *Pasce agnos*, *pasce oves*; ut indicet, tam humiles ovinulas, quam validiores oves pariter curandas esse, & pastorem ecclesiæ, sic erga tam has, quam illas se gerere debere, ut rationes ipsarū postulant.

3. Scriptura doctrinam & disciplinam ecclesiæ adumbrat tribus similitudinibus; videlicet traditione clavium, solutione & ligatione. Quæ quidem metaphoræ eodem spectant, hoc modo. Semper designant aliquam potestatem; at non semper eiusdem generis, neq; parem. Nam in vita communia traduntur claves, vel ut symbolum dominationis & subiectionis, ut cum regi arcem ingredienti traditur clavis; vel ut symbolum acquisiti dominii, ut cum venditor emptori domus tradit clavem; vel ut symbolum munieris & ministerii, ut cum quæstori traditur clavis

clavis ærarii, vel paterfamilias promocondo tradit clavem cellæ penuariæ. Ita Imperator traditione gladii constituit Prætorii præfetum, vel tribunum militum. Metaphora solvendi & ligandi eodem spectat cum metaphora clavium. Petita autem est à magistratis, qui habent ius coniiciendi in carcere, & dimittendi è carcere. Hebraica autem translatione usi sunt ad denotandam alicuius potestatē. Est autem alia potestas ligandi & solvendi, quæ Regi aut supremo magistratui competit; alia quæ magistratui inferiori, cui iurisdictio est demandata; alia quæ lictori convenit, quatenus est minister magistratus. Cum igitur omnes hæ metaphoræ locutiones, quas Dominus Petrum & reliquos Apostolos alloquens, usurpabat, modo maiorem, modo minorem dene-tent.

Quæritur cuius sint potestatis symbola claves Petro datae? Baronius ait, Supremi dominii in Ecclesiâ; nos cōtra asseveramus, Petri claves nihil esse aliud, nisi potestatem ligandi & solvendi, vincula peccatorum, adeoque aperiendo & claudendo, tum cælum tum infernum in nomine Christi, eamque Petro non fuisse propriam, sed omnium apostolorum, adeoque omnium pastorum communem. Itaque solus Deus habet claves regni cælorum secundum plenitudinē potestatis. Petrus & reliqui apostoli secun-

F 6 dum

dum commissionem muneris. Hinc eleganter Chrysostomus ait: *Nemo contemnat vincula ecclesiastica, quia non est homo qui ligat, sed Christus, qui dedit potestatem talēm hominibus, & homines fecit dignos tanti honoris.* Atque hoc sensu Petrus etiam dicitur petra ecclesiæ, ratione præconii & ministerii quod habet commune cum reliquis apostolis.

4. Pastoribus ecclesiæ datus est gladius verbi Dei, quem debent vibrare adversus peccatores, non vero debent illum portare retro, ut rustici & milites imperiti, neque pallio involvere, ut milites timidi; neque in ore tantum gestare, sed in manibus, hoc est, debent illum stringere & evaginare adversus rebelles, recondere autem si peccatores se convertant.

5. Excommunicatio est usus gladii spiritualis qui magis timendus est quam ictus gladii corporalis: est instar fulminis quo terretur conscientia: est separatio à cælo, sacramentis, & omnino communione Christiana. Quemadmodum separatio leprosorum in populo Dei fiebat à communione populi puri. Est item traditio, quâ aliquis traditur Satanae per privationem gratiæ præsentis, & gloriæ futuræ: est tanquam separatio membra à corpore. Quæ omnia intelligenda sunt de iusta excommunicatione, & ita quidem ut sartum teatum maneat discriminex-

exclusionem ab Ecclesia catholica & invisi-  
bili, & ab Ecclesia particulari & visibili.

6. Sicut in republica Rex potest deponi  
à subditis universis, ita pastor potest suspen-  
di & deponi ab Ecclesia. Neque verò hoc est  
absurdum, quasi scilicet oves non possint  
constituere vel destituere pastorem; quia  
Ecclesia híc non consideratur ut gress, sed  
ut superior.

---

LOCVS XXII. DE VOTIS.

I.

**Q**uemadmodum aves duas habent alas,  
& illis liberè volant, ita homines pii fi-  
de & voto liberè cōficiunt cursum pietatis.  
Deinde quemadmodum duplex funiculus  
non facile rumpitur; ita nos duplice hoc vin-  
culo muniti non facile exorbitamus.

2. Qui ex infirmitate carnis perfectiori-  
bus se votis adstringunt, similes sunt iis, qui  
cum pauperes sint pecuniam ad usuram ac-  
cipiunt. Sicut enim illi neutrum reddunt,  
neque sortem, neque interesse. Ita qui vo-  
veruntres, quas præstare non possunt, neq;  
illas præstant, quas non possunt, neque illas  
quas possunt. Ratio est, quia votum illegi-  
timum laqueum iniicit conscientiæ.

3. Sicut non arguit segnitiem viatoris,  
viae compendiosioris eleſtio, ita emendatio  
& commutatio voti improvidi, non est voti  
spiritualis transgressio, sed voti temerarii

F 7 recti-

rectificatio. Eleganter enim Isidorus, In malis promissis rescindere fidem, in impi ooto muta decretum. Quod incaute vorvisti ne facias. Impia est promissio qua scelere ad impletur. Et acute Bernhardus, Ego non arbitror minora vota impedire debere maiora. nec D E V M exigere quodcumque sibi promissum bonum, si pro eo melius aliquid fuerit persolutum. Enimvero alicui forte debenti vobis duodecim nummos, numquid si pro eis die constituta marciam solveret argenti, iste irascemini?

4. Ut equus calcari & bos stimulo, sic homo pius ad officia pietatis, charitatis, iustitiae & misericordiae excitatur voto.

5. Sicut pollicitatio obedientiae facta à liberis grata est parentibus, & verò utilis ipsi met liberis: Sic vota ex fide facta, valde placent Deo Patrino stro cælesti, & quoque valde nobis prosunt.

6. Ut res quæ nimium tenduntur verè convelluntur: Sic si voveamus res quæ sunt supra hominem, planè excidimus scopo nostro.

7. Quemadmodum promissiones & iuramenta in vita civili damnantur, si conditiones essentiales in ipsis negligantur, e.g. si promittat ille qui non est sui iuris, ut si quis iuret contra bonos mores; sic in votis observandæ sunt certæ conditiones numero octo. 1. Ut fiant iuxta verbum Dei. 2. Ne quod

quod verbo Dei præscribitur, ut promittitur, voto aliquo impediatur. 3. Ne vota sint actiones suo genere malæ. 4. Ne vota impediant maius bonum. 5. Ne res vota obfit officio, quo quilibet ex iure naturali in proximum defungi tenetur. 6. Ne res vota fit voventi impossibilis. 7. Ne res votæ sint ineptæ, ludicræ & inutiles. 8. Ut absit à votis religiosis omnis opinio cultus necessarii, ac meritorii apud D E U M , ex opere supererogationis. Octo istæ regulæ in examine cuiusq; voti Christiani sunt adhibendæ. Faceant itaque vota Monastica, obedientiæ regularis, perpetuæ continentiæ, & spontaneæ paupertatis.

8. Quemadmodum rem alii debitam promittere alteri non solum est incivile, sed etiam turpe : ita cum vota soli D E O debeantur, sacrilegium est vota muncipare sanctis Angelis & animab.

9. Vota Naziræorum & Rechabitarum, fuerunt typica hoc modo. Naziræi, 1. Christi, non tantum ratione nominis, sed etiam ratione ominis sive perfectionis, quia ille fuit separatus à Deo ad faciendū eius voluntatē de redemptione nostri. 2. Omniū Christianorum, qui sunt separati à mundo, abstinent à vino, hoc est, à doctrina Antichristi, & voluptatibus huius seculi : non contrebant mortuos, id est, fugiunt opera mortua & mortifera. Denique non radunt capili-

capillitium , hoc est, Deo robur spirituale  
mancipant.3. Peculiariter ministrorum ver-  
bi , qui debent esse Naziræi Dei ratione sui  
officii.

Rechabitæ sunt typi obedientiæ filialis  
erga Deum : quia ut illi servarunt regulas  
vitæ à Patre præscriptas , ita nos debemus  
observare regulas divinitus nobis traditas.

### LOCVS XXIII. DE SACRAMEN- TIS IN GENERE.

#### I.

**V**erbum Dei & Sacra menta sese habent  
tanquam literæ & sigilla. Ex qua simili-  
tudine deducuntur sequentia porismata . 1.  
Verbum & Sacra menta se invicem expli-  
cant & illustrant. 2. Verbum & Sacra menta  
sunt connexa , adeo ut sacramentum sine  
verbo esse non possit , iuxta regulam. Acce-  
dit verbum ad elementum & fit sacra men-  
tum. 3. Verbum & Sacra menta æquè latè  
patent. nam utrobique idem significatur &  
promittitur. Neque signa promissionis re-  
pugnant promissioni , aut eam mutant , aut  
aliquid aliud promittunt , quām promissio  
cui annexa sunt , sed eandem illustrant , con-  
firmant , applicant. Hinc rectè Augustinus  
ait : Sacra menta esse verba visibilia ; quæ nē  
pe idem significant oculis , quod promissio  
gratiæ nunciat auribus. 4. Verbum & Sacra  
menta semper habent adiunctam conditio-  
nem

nem fidei, nam promissio gratiae & communionis cum Christo, semper habet adiunctam istam conditionem sive expressam sive subintellectam. 5. Verbum & Sacra menta semper sunt integra, sancta & perfecta, etiam quando infideles illa accipiunt, non enim definit ordinatio & institutio divina, etiam si abutantur infideles: ita verbum Dei semper manet verbum & veritas Dei, sive a credentibus, sive a repugnantibus audiatur. Idem iudicium de Sacramentis. Ex parte inquam Dei offerentis, semper sunt integra; et si non credentibus, promissio est inanis sonus, & Sacmentum inanis ceremonia. Deo enim utrumque offerente, rem dico externam & internam, ipsi abutuntur quidem re externa, internam vero abiiciunt. 6. Iniuria quam afficiuntur verbum & sacramenta, redundat in ipsum autorem: quomodo videmus si sigillum & diploma Principis violetur, ipsum principem violari, & si sponsa abiiciat arrham reiici sponsum. Atque hec omnia patent ex similitudine illata.

6. Quemadmodum Principes erigunt monumenta publica, & in vita communivaria sunt mnemosyna sive memorialia. Ita Deus in Ecclesia voluit extare Sacra menta tanquam monumenta & mnemosyna, & quidem ratione praeteriti & futuri. Ratione praeteriti, ut quando Pascha fuit memoriale transiit, & cena est memoriale passionis

Chri-

Christi; ratione futuri, quia ut maritus per  
egre proficiscens & aliquandiu abfuturus,  
uxori quam diligit, & à qua diligi vult mu-  
tuo, clinodium aut sui imaginem tradens  
dicit, hoc te quoties adspicis admoneat reci-  
proci nostri amoris, donec ad te redeam:  
ita Christus corpore suo discessurus ab Ec-  
clesia militante, reliquit ipsi cænam, tan-  
quam memoriam reddituri.

7. Sacramenti vox olim de iuramento  
militari, & pecunia à litigantibus deposita  
pignoris loco fuit usurpata, illustri ergo  
modificatione transfertur in Ecclesia ad re-  
gnūm gratiæ, quia ibi nos iuramento visibi-  
li obstringimus cælesti nostro imperatori,  
qui nobis iuratam promissionem hoc veluti  
pignore obsignat.

8. Ut in vita civili mutationes rituales  
non fiunt ratione substantiæ aut qualitatis,  
ut quando lapis auctoritate Magistratus  
mutatur in limitem, baculus ligneus in  
symbolum imperii. Ita in Sacramentis, si-  
gna sive symbola revera mutantur ratione  
usus, officii & vocationis divinæ.

9. Sicut Evangelium est odor vitæ ad vi-  
tam, quia Christus in Evangelio oblatus  
percipitur fide; & est odor mortis ad mor-  
tem, quia Christus oblatus repudiatur: ita  
quoque sacramenta sese habent. Falsum  
itaque est istud simile. Sicut sol liquefacit  
ceram, & lutum indurat una & eadem actio-  
ne;

ne; ita Christus in sacramento, eadem actione prodest & obest.

10. Sicut unio rerum civilium pendet ab instituto sive pacto, ab analogia sive convenientia, ab usu legitimo; ut cum quis dicit de testamento, hic habeo agrum, hereditatem &c. Ita quoque se habet unio sacramentalis. Illa siquidem pendet ab ordinatione divina, & consistit in analogia signi ad signatum, & utriusque perceptione in legitimo usu.

11. Similium phrasium similis retinenda est expositio. At verò istae phrases, *hoc est vinum*, *hoc est saccarum*, *hoc est ignis*, *hoc est avena*, *hoc est infans*, &c. quæ sunt accipienda de cantaro, scatula, ferro candente, marsupio hoc est aurum, faccio hoc est avena, cunis &c. planè sunt dissimiles phrasibus sacramentalibus. Ratio dissimilitudinis est gemina. 1. Quia ista loquendi genera designant rerum terrestrium coniunctionem crassam, manifestam & sensibilem illamque inconvenientibus subiectis existentem. At in sacramentis habemus rē cælestem & terrestrem. 2. Coniunctio illarum rerum non pendet ex illis verbis, *hoc est vinum*, *h.e. saccarum*, &c. sed ista verba significant coniunctionem illā iam ante esse factā. Sed in sacramentis coniunctio rei terrestris & cœlestis, sit per verba consagracionis diuinæ. Oportet itaque adferre alias phrases; quarum aliae sunt petitæ ex prophanis autoribus, ut cum Homerus duos agnos vocat fædera

fæderæ Deorum, & Horatius lacum Adriaticum appellat aduersarium; aliae ex vita cōmuni, ut cum Germani dicunt de arrha, das ist die trew / & de strena, das ist ein newes Jahr. Vel denique ex ipsa scriptura, ubi has phrases sacramentales est legere; Circumcisio est fædus, agnus est pascha, Exod. 12. Sacrificia expiant peccata, sanguis victimarum est sanguis fæderis, baptismus nos servat, panis est corpus Christi, vinum est sanguis Christi, posculum est novum testamentum. Hic itaque utiliter adhibetur aureum illud axioma Theologicum, unumquodque dogma Theologicum debet iudicari ex principiis suis propriis, genuinis & germanis. Frustra autem est Mentzerus, quando nobis obiicit tria ista theorematæ. 1. Nullum est dogma Christianæ fidei ad salutem necessarium, quod non in scripturis propriis & perspicuis verbis tradatur. 2. Quicquid in descriptione articulorū fidei figuratè in scripturis proponitur, id ex aliis manifestis, claris & homogeneis scripturæ locis demonstrari & potest & debet. 3. In narratione historica verba intelligenda sunt ut sonant, nisi causæ graves & perspicuae in ipsa historia annotatæ aliter iubeant. Frustra inquam hæc axiomata nobis obiicit, quasi nempe illa violemus. Nam ut sumamus istud exemplum *Hoc est corpus meum*, hæc verba propriè explicantur ab ipso Christo, cum ait, *hoe facite in mei recordatione*

dationem. Deinde Christus in institutione cænæ , similem adhibuit phrasim , quando dixit, se desiderio desiderasse comedere Pascha , Luc.22. Et quando poculum appellavit nouum testamentum. Denique gravissima est causa huius phraseos sacramentalis , quia nempe subiecta materia est sacramentaria.

12. In rebus naturalibus & civilibus, quatuor sunt principales modi præsentia. Nam aliquid est præsens , ratione repræsentationis & cōmemorationis ; ut princeps in imagine, sponsus in arrha : tum ratione apprehensionis, ut res sensibilis & intelligibilis est præsens per phantasma & noema. Deinde ratione virtutis & efficaciæ, ut sol in cælo est nobis præsens in terris. Denique ratione substantia, ut anima præsens est in corpore. Quatuor isti modi præsentia concurrunt in sacramentis. Principio enim ibi locum habet præsentia symbolica, eaque ratione repræsentationis , obsignationis & commemorationis. Deinde ibi est præsentia obiectiva ratione fidei, quæ dum ascendiit in celum, descendit spiritus in cor nostrum. Terzio est præsentia virtualis , quia beneficia Christi nobis applicantur in legitimo usu. Quarto & ultimo , est præsentia immediata & substantialis , eaque non corporalis sed spiritualis , quia Christus toti homini credenti præsens est per inhabitationem.

13. Quemadmodum nos in N. T. habemus

138      *Ioh. Henr. Alsted.*

mus baptismum & cænam , ita Patres in V.  
T. habuerunt suum baptismum & suam cæ-  
nam i.ad Cor.10. Rursus ut illi habuerunt  
suam circumcisionem, & suū pascha; ita nos  
habemus nostram circumcisionem, ad Col.  
2. & nostrum pascha. i. Cor.5. Ratio prioris  
similitudinis hęc est. Veteres fuerunt bapti-  
zati in Mosen, id est, in doctrinam Mosis, nu-  
be & mari, h. e. nubes & mare fuerunt illis  
baptismus , quaten⁹ analoga fuerunt nostro  
baptismo. Item manna & aqua ex petra fue-  
runt illis cæna, id est, analoga nostræ cænæ.  
Itaq; ut baptismum , id est, lavacrum com-  
mune, inter se & nobiscum, sic etiam cæna &  
seu escam & potum communem, inter se &  
nobiscum habuerunt. Dicit autem Aposto-  
lus manna & aquā illis fuisse cibum & potū  
spiritualē nēpe ratione significationis, aliás  
solus Christus , est esca & potus spiritualis.  
Itaq; veteres habuerunt eandem nobiscum  
escam non ratione symbolorum, sed ratio-  
ne significationis & rei significativæ. Ratio  
posterioris similitudinis est. Sicut veteres  
circumcisi fuerunt circumcisioñem manuū,  
ita nos circumcidimur per circumcisioñem  
Christi, & sicut illi habuerunt suum pascha  
materiale , ita nos habemus pascha spiritua-  
le. Quare habemus eandem circumcisioñem  
& idem pascha cum veteribus, non ratione  
significationis, sed rei significatæ.

14. Sicut

14. Sicut si canibus dederis sanctum , aut porcis margaritas , nec sanctum canes sanctificat , nec margaritæ porcos nutriunt. Sed è contra canes coinquiant sanctum & porci margaritas folidant vel confringunt. Ita si hominibus caninos vel porcinos mores habentibus , dederis sanctum & mysteria sacra; nec sanctum illos sanctificat, nec mysteria veritatis illos illuminant , sed ecōtra sanctum ipsi coinquiant& mysteria veritatis blasphemant.

---

## LOCVS XXIV. DE BAPTISMO.

### I.

**Q**uemadmodum qui ius civitatis acquirunt donatione gratuita , illius retestimonium, symbolū & tesseram accipiunt. Ita circumcisio & baptismus sunt signum & signaculum receptionis in fædus Dei , adeoque in C H R I S T U M infisionis , & corporationis cum illo , testimonium perpetuum. Gal.3. v. 27. 28. adeoque solennis testificatio , & inaugratio , quod per sanguinem & spiritum C H R I S T I , à peccatis abluti , & regenerati sumus. Hinc baptismus appellatur sacramentum initiationis & spiritualis generationis ; sicut cæna sacramentum spiritualis nutrificationis. Appellatur etiam introitus in Ecclesiam.

2. Baptismus est antitypon diluvii

*i. Petr. 3.*

1. Petr. 3. hoc est, est typus similis, correspondens, succedens, & idem significans, et si clarior, quam vetus ille typus diluvii. nimis sacramenta vetera fuerunt typi novorum sacramentorum, non quasi illa fuerint signa nostrorum, nostra vero sacramenta res ipsae: sed quia vetera sacramenta fuerunt umbras Christi quidem & ipsius regni, tanquam rerum significatarum, novorum vero sacramentorum tanquam iconum sive imaginum expressarum & illustratarum ad Hebr. 10. Ceterum baptismus dicitur antitypon diluvii, quia nos servat sc. sacramentaliter.

3. Sicut in homagio est reciproca principis & subditorum obligatio; ita in baptismo Pater, Filius, & Spiritus sanctus nobis promittunt beneficia salutis æternæ, & nos repromittimus officia fidelitatis. Hinc Tertullianus ait, Nos ibi iurare in sacramentum militiae. Atque haec est causa, quod recordatio baptismi nostri, non solum consolacionem vivam, sed etiam admonitionem perpetuam, ob oculos quasi sistit.

4. Baptismus est lavacrum regenerationis Tit. 3. Etsi enim ibi non agitur de ceremonia baptismi, tamen res significata ibi intelligitur. Quare ut Joh. 6. caput, non agit de eucharistia, & nihilominus tamen optima eucharistiae explicatio, ex isto capite arcessitur, quatenus nempe ibi agitur de res significata. Ita et si ad Tit. 3. non agitur de baptismō

baptismoratione signi, tamen res significata ibi describitur. Idem est iudicium de loco Joh. 3. Itaque quemadmodum aquæ natura est ablucere sordes corporis; ita sanguis Christi abluit nos à sordibus animæ. Neque verò hæc analogia duos introducit baptismos, non magis certè quām analogia in circumcisione introduxit duas circumcissiones; et si iuxta Apostolum nihilominus fuerit circumcisio cōtra φαυρεῶν καὶ cōtra κρυπτῶν.

5. Baptismus à veteribus vocatur pietura, repræsentatio, itemque visibilis & auditibilis patefactio SS. Trinitatis. Nam non solum in baptismo Christi tres illæ personæ fæfecerunt: sed etiam in nostro baptismo est luculentissimum huius mysterii testimonium. Nominatim autem hic in baptismo Christi observandum, cur Spiritus sanctus in specie columbae super Christum descenderit & quieverit. Nam quemadmodum olim diluvii tempore columbam ex arca emisit Noë, quæ rediens olivæ ramum ad ipsum retulit in signum & testimonium diluvii aquas nunc desississe & deservisse, atque salutis spem ipsi nunc iterum ostendit: ita Christus est verè cum Deo pacis & salutis æternæ autor, qui nos ab infelici huiusmodi diluvio servat, & plusquam columbinam mansuetudine nobiscum agit, ut propter peccata nostra nos non abigat.

6. Baptismi aqua ordinaria est aqua, ex-

G

tra-

traordinaria ignis Matth.3. v.11. Aqua autem est symbolum regenerationis omnium fidelium. Sed ignis est symbolum doni linguarum & prophetiae Act.2.v.3.4. ubi Apostoli sunt baptizati interne Spiritu sancto, & externe igni tanquam symbolo Spiritus S. Neque tamen ideo nos non baptizamur igni. Etenim externe baptizamur aqua, & internè Spiritu sancto, qui id in nobis præstat quod aqua & ignis, quando flammæ cupiditatum mortificando nos refrigerat, & sordes eluendo nos illuminat.

7. Quemadmodum sigilla principum diplomaticis ipsorum nō appendi solent, nisi ab iis qui publica autoritate ad hoc sunt instruti: Ita doctrinam Evangelii nemo sacramentis legitimè confirmare potest, nisi ad hoc sit vocat<sup>9</sup>. Unde pastores dicuntur p̄comes Dei, legati ac ministri Christi, & dispensatores mysteriorum Dei 1. Cor.4.2. Cor.5.

8. Baptismus est exemplar regenerationis & signum spiritualis resurrectionis Rom.6. v.3.4. Symbolum sanctificationis; sigillum fidei; testimonium pénitentiæ; figurat<sup>9</sup> per miraculosam conservationem, in arca Nœ 1. Pet.3. v.21. Bonæ conscientiæ stipulatio, ibidem, id est, obligatio mutua Dei & hominis. Est item figuratus per transitum, per mare rubrum, quia ut in illo submersus fuit Pharao, unum cum suis, illæsi autem transierunt Israelitæ; ita in baptismo moritur ini-

mici-

nicitia quæ nobis fuit cū D<sup>e</sup>o, & nos ascen-  
dimus ab aquis tanquā ex mortuis vivi, ser-  
vati per gratiam Spiritus. Deniq; per nubē;  
quia ut illa dux fuit Israēlitis in deserto; ita  
gratia Spiritus in baptismo nos comitatur  
ad vitam æternam.

9. Quemadmodum coronatio Regis, &  
inauguratio vel investitura alicuius non re-  
petitur; sic nec baptismus; quia ibi accipim⁹  
diadema, quod simus reges, & togam, quod  
simus sacerdotes Deinostri. Rursus ut titus  
illi non nisi à deputatis ad id personis con-  
feruntur, ita & baptismus. Deniq; ut in legi-  
timo usu actus isti spectantur συνδῶσις, ita  
nempe ut exhibitio & receptio concurrant:  
ita in baptismo ὄλως considerato, est actio  
interna Spiritus sancti, & actio externa ad-  
ministrantis.

10. Quemadmodum Christus sepultus  
est & resurrexit; ita qui baptizantur in no-  
men Christi, ipsum induunt, ideoq; cum illo  
per baptismum sepieliuntur & resurgunt  
Rom. 6. Col. 2. Quod quidem evidentissime  
figuratur per immersionem & emersio-  
nem, non ita evidenter per aspersionem.

11. Ut in institutis politicis actio Princi-  
pis & ministri distincta est; ita in baptismo  
actio Spiritus sancti specie differt ab actione  
ministri puta Johannis. Ubi & aliud discri-  
men cernitur inter baptismum Johannis &  
Apostolorū; quia baptismus Johannis fuit ad-

ministratus in Judæa tantum, sed baptismus  
Apostolorum est à Christo veluti ampliatus  
Matth. 28.

## LOCVS XXV. DE POEDOBAPT-

S M O.

## I.

**S**icut sigillum Regis censetur profanari,  
quando falsæ scripturæ , vel diplomati,  
aut etiam contra ipsius mentem aut volun-  
tatem appenduntur, ita prophanatur bapti-  
smus , quando confertur iis qui promissio-  
nem Dei non habent , cuiusmodi sunt infi-  
deles qui apostolo dicuntur *oi οἴων*.

2. Sicut civium liberi vi pacti humani &  
civilis accipiunt ab ipso nativitatis suę exor-  
dio ius civitatis , id nihil impediente infir-  
mitate aut egestate coñata: ita Ecclesiæ sive  
Christianorum liberi, vi pacti divini & reli-  
gioſi , naneſcuntur ius civitatis ecclesiasti-  
cæ, ut ut in peccato originis nascantur. Hoc  
privilegium civitatis spiritualis Apostolus  
vocat sanctitatem , ut nempe non debeat  
censi expertes Christianissimi, i.adCor.7.v.

4. Nempe ut ex Judæis Judæi nascebantur  
in populo Dei, ita nunc ex christianis chri-  
stiani. Hoc duplici illa similitudine quam  
habet Apostolus Rom. ii. v.16. illustrari po-  
test. Nam ibi Abraham comparatur primi-  
tiis & radici , Iudæi autem massæ & ramis.  
Sic enim ait Apóstolus ; quod si primitiæ  
sanctæ

s  
sanctæ sunt, sancta etiam est massa, & si radix sancta est, etiam rami, intellige sanctitatem fæderis. Sancti enim nominantur Abrahamus & eius posteri, ratione fæderis quo segregati fuerunt à mundo.

3. Quemadmodum in vita communi & in militia infantibus in cunis adhuc vagientibus legantur bona, & assignantur stipendia, erexitis hac super re tabulis, instrumentis & sigillis. Ita quia Deus promisit Abraham se fore Deum ipsius, & seminis eius post ipsum, circumcisio fuit administrata infantibus æque ac adultis, videlicet tanquam sigillum fæderis. Proinde quia nobis & liberis nostris illa ipsa facta est promissio, utique baptismus infantibus nostris rectè administratur, quia nempe baptismus successit in locum circumcisionis nisi velimus dicere in N. I est nullum esse sacramentum initiationis.

4. In Schola aliquis fit discipulus duplificatione, puta ratione status, five personæ, & ratione doctrinæ. Primo enim fit membrum Scholæ & deinde instituitur. Sic in Schola gratiæ fiunt discipuli per receptionem in Ecclesiam, & per institutionem, sed ordine non uno. Etenim adulti non-christiani fiunt christiani 1. per institutionem. 2. per receptionem. Sed infantes christiani fiunt primo discipuli per receptionem & deinde per institutionem. Nempe si infantes christia-

norum sunt discipuli Christi, utique debent accipere sigillum immatriculationis.

5. Sicut semen non statim germinat simul ac satur; sed vis in semine latens suo erumpit tempore; ita vis circumcisionis & baptismi latet in infantibus electis quantū ad fidem, quā habent in semente, quā calor & humor à spiritu & verbo Dei, suo tempore faciunt germinare ad messem, fidei actualis & pietatis. Quod attinet ad infantes non electos, & in ipsis vis baptismi est manifesta, quatenus illis æquè atque infantibus electis est tessera receptionis in fædus, seu in Ecclesiam externam.

6. Ut in republica pueri gaudentes privilegio familiæ, vel universitatis, gestant insigne huius rei, sive sint bonæ sive malæ indolis, ut apud Romanos pueri gestabant vestem praetextam. Ita in Ecclesia infantes Christianorum pariter gaudentes privilegio fœderis, seu cōmunionis externæ, pariter accipiunt huius rei signum, puta baptismum.

7. Quemadmodum in V.T. primogeniti sanctificabantur, hoc est, Deo consecrabantur, offerebantur, dedicabantur. Ita in N.T. infantes Christianorum offeruntur, addicuntur, & dedicantur Deo per baptismum. Atque ita vocatur nomen Dei Patris, Filii, & Spiritus sancti super infantes, ut illi qui habent ius ad baptismum, accipient hac ratione ius in baptismo. Baptizantur itaque in-

fan-

fantes christiani, & quia sunt christiani, & ut  
sint christiani.

8. Typi illustres confirmantes Pædobap-  
tismum ita sese habēt. Sicut infantes Israe-  
litarum, non minus quam Israelitæ adulti  
sub nube & mari rubro baptizati sunt. I.  
Cor.10. Ita in N.T. infantes Christianorum,  
æquè atque adulti sunt capaces baptismi.  
Huc etiam refer transitum per Jordanem,  
& purificationes Judæorum, quæ ipsæ quo-  
que baptismi nostri repræsentationes quæ-  
dam fuere.

9. Quemadmodum in exercitu, maxi-  
mi medioximi & minimi signis certis dis-  
cernuntur ab hoste; ita quia infantes chri-  
stianorum in unum corpus mysticum, cum  
Ecclesia Christi coalescunt, aliquo signo dis-  
cernendi sunt ab iis, qui à corpore hoc sunt  
alieni: sanè qui sunt alieni ab Ecclesia, sunt  
alieni à Sacramento infissionis in Ecclesia.

10. Sicut debita & illorum documenta à  
parentibus transeunt ad liberos: ita pecca-  
tum originale, & illius rei documentum, id  
est, baptismus transit à parentib⁹ Christianis  
ad liberos ipsorum. At cur nō æquè infantib⁹  
Ethnicorum administratur hoc signum  
immunditiei spiritualis? Resp. Quia bapti-  
sm⁹ est signum imunditiei & emundationis  
similiter figuratum per mundationē Namanis  
lepræ. Cæterum baptism⁹ in sua simplicita-  
te relictus satis exaggerat turpitudinem na-

turalem , ut tam dirum sonante exorcismo  
nullo hic sit opus.

ii. Quemadmodum Matth.9. fides illo-  
rum , qui paralyticum Christo sanandum  
offerebant , profuit paralytico . Ita fides pa-  
rentū , susceptorum Ecclesiæ prodest infan-  
tibus , non ut per eam salventur , sed ut per  
eam baptizentur .

12. Sicut in Politicis , quod quis facit per  
alium , ipse facere videtur . Ita in Ecclesia  
infantes dum baptizantur , rectè dicuntur  
vovere , quia hoc est votum generale totius  
christianitatis .

13. Quemadmodum vasallus ad liberos  
suos transmittit omnia documenta &  
instrumenta feudi sui , & quidem ex conven-  
tione : ita parentes christiani , ad liberos suos  
transmittunt omnia documenta & monu-  
menta Ecclesiæ visibilis .

---

## LOCVS XXVI. DE CÆNA DOMINI.

I.

CÆna Domini itemque facer panis , &  
sacrum vinum , appellantur à veteribus .  
1. Sacramentum corporis , sacramentum  
carnis , sacramentum sanguinis , sacra-  
mentum corporis & sanguinis simul . Hoc est ,  
signa sacramentaliter significantia , obsi-  
gnantia , & in legitimo usu coniuncta cum  
ratio significata .

2. My-

2. Mysteria, quia omnia h̄c sunt mystica, videlicet significatio, res significata, & perceptio istius rei significatæ.
  3. Symbola, signa, imagines, & similitudines, puta passionis Christi, & fructus ex illa resultantis.
  4. Typi, antitypa, & figuræ pretiosi corporis, & sanguinis: quia repræsentant, significant, & ostendunt Christum pro nobis crucifixum.
  5. Memoria, id est, signa memorialia immensi amoris.
2. Hoc sacramentum appellatur cæna. Dominica, idque à tempore, autore, & fine. Est enim primò instituta & celebrata de nocte, idque quatuor de causis. 1. Ut succederet in locum agni paschalis eumq; antiquaret. 2. Ut Christus se & discipulos suos præpararet ad passionem iam iam imminentem. 3. Ut inde discamus Christum esse cibum nostrum, & quietem nostram in tempestate huius vitæ. 4. Ut nobis commendaret hoc sacrum epulum, utpote quod instituit ea nocte, quā discipulis reliquit mnemosynon præstantissimum. Porro dicitur cæna Domini, quia Christus Dominus noster iure redēptionis & nutritionis eam instituit, & in ea simul est cibus. Denique appellatur cæna. Quia 1. post prandiu cæna restat, post cænam verò nullum restat convivium. Ita non est epulum aliud, nisi Christus repræ-

G 5      sec-

sentatus in hac cæna. 2. Aeternum Dei convivium nobis in eternum apparabitur. 3. Cæna apud veteres erat aliquid maius quam prandium, quia illi parcè prandebant, invitationes autem ad cænam fiebant. Iam vero cæna Domini non sunt privatæ epulæ, sed publicæ quædam omnium fidelium invitatio-

3. Cæna Domini à veteribus appellatur convivium Ecclesiæ, cōvivium latum, epulum sacrum, prandiū cœlestis, mensa cœlestis, mystica, spiritualis, terribilis, & rationalis. Et conviū seu epulum sacrum appellatur, quia hīc sunt omnia requisita convivii; est enim Dominus qui invitat, est cibus & potus simul, sunt convivæ, quorum manus, os & ventriculus, est fides; est hīc manducatio & bibitio: denique est nutritio & refectio spiritualis. Imprimis itaq; in hac similitudine urgendum est illud, quemadmodum cibus & potus intimè nobis uniuntur, & in substantiam nostram convertuntur, ita nos incorporamur Christo, dum ipsum tanquam panem & aquam vitæ edimus & bibimus vera fide. Porro epitheta ista, sacrum, cœlestis &c. adduntur differentiæ causa. Sic nominatur hæc mensa terribilis non propter horrorem, sed propter honorem rei significatiæ: Et mensa rationalis, quia Deus à nobis hic requirit cultum rationalem.

4. Sacra cæna est & dicitur sacramentum duplicitatione. 1. Quia est sacramentum testa-

testamenti, id est, fæderis, cuius ratio sive  
œconomia est testamentaria. Et ita quidem  
vox testamentum, accipitur in verbis insti-  
tutionis. 2. Quia est veluti testamentum,  
quod ita definitur à Jurisconsultis, est vo-  
luntatis nostræ iusta sententia de eo, quod  
quis post mortem suam velit fieri. Quæ de-  
finitio, ut & reliqua testamenti requisita, sic  
competuit in sacrâ cænam. Causa efficiens  
huius testamenti est voluntas testatoris seu  
Christi, qui quidem voluntatem suā verbis  
clariis, perspicuis, tritis, & huic testamento  
q̄ simul est sacramentum, convenientibus,  
exposuit. Hæredis institutio, h̄c est omniū  
credentiū, quibus tanquam hæredib' Chri-  
stus in hoc suo testamēto, legavit in æstima-  
bilia dōna, videlicet carnem & sanguinem  
suam, indeq; gratiā Dei, remissionem pecca-  
torum, donationem Spiritus sancti & vitam  
æternam. Deniq; sunt h̄c sigilla, panis & vi-  
num; itemq; testes, videlicet duodecim A-  
postoli. Cæterum sacræ cænæ potius quam  
baptismo tribuitur appellatio sacramenti;  
quia Christus statim ante mortem instituit  
eucharistiam, & quidem in mortis suæ me-  
moriā.

5. Cæna apud Patres variis insignitur  
encomiis, iisque fermè catachresticis, hy-  
perbolicis, metonymicis, vel metaphorici-  
s, dum appellatur, pharmacum immorta-  
litatis, antidotum mortis, alexica con-

pellens omnia mala, perfectio perfectionū, omnis noxæ amuletum, universæ maculae purgatorium, viaticum, apologia ante tribunal iudicis, arrhabo regni cælorum, nervus & vinculum charitatis, medicina animæ, spes nostra, argumentum parrhesiæ, cæna principalissima & divinissima, sacramentum panis, sacramentum pietatis, signum unitatis, sacramentum pretii nostri, hæreditariū munus Novi Testam. denique mysterium perfectionis.

6. Typi & repræsentationes sacræ cænæ in V.T. fuerunt, panis & vinum Melchisedeci, agnus paschalis, manna & aqua deserti, panes propositionis, panis & vinum Davidis 2. Sam. 6. Duplex autem est horum typorum accommodatio; videlicet ratione repræsentationis & usus legitimi eucharistiæ. Repræsentatio est eiusmodi. Quemadmodum symbola in typis modo cōmemoratis figurarunt refectionem spiritualem quam habemus à Christo; ita eandem figurant sacra Symbola in eucharistia, sed modo eminentiori. Convenientia in usu sic exponitur. Primum enim, ut Melchisedech pane & vino refecit Abrahamum & eius exercitum, eidem quæ benedixit; ita Christus in legitimo usu sacræ cænæ, spiritualem nostram esuriem & sitim, quam contrahimus ex militia spirituali, tollit, communione corporis & sanguinis sui, mediante pane & vino

vino benedicto. *Deinde* quemadmodū pa-  
scha erat memoriale liberationis ex Aegy-  
pto; ita eucharistia est memoriale passionis  
Christi. Item quemadmodum solis circum-  
cisus aditus patebat ad agnum paschalem; ita  
solis baptizatis ad eucharistiam. Rursus,  
quemadmodum Israelitæ comedebant car-  
nes agnij paschalij, & sanguine eius postea  
domus illinebant; ita in solenni usu eucha-  
ristiæ, fideles comedentes panem ore, com-  
edunt corpus Christi fidei, eiusque sanguine  
aspergunt cor suum. *Tertio*, sicut Israëlitæ  
pane cælitus depluto, & aqua ex petra mira-  
biliter producta, in deserto sustentabantur,  
ne fame & siti perirent: ita in sacra cæna pa-  
scimur pane illo qui de cælo descendit, hoc  
est corpore Christi, & potamur sanguine,  
qui ex latere ipsius profluxit, ne in deserto  
huius mundi, æternâ fame & siti nobis sit  
pereundum. *Quarto*, Quemadmodum pa-  
nes propositionis quotidie coram Domino  
proponebantur, & non nisi à sacerdotibus  
comedebantur; ita corpus Christi in sacra  
cæna Deo pponitur verâ fide, & à solis com-  
editur christianis, qui omnes sunt sacer-  
dotes Dei. *Quinto*, quemadmodum David  
universam multitudinem Israëlis refocilla-  
vit pane & vino; ita Christus universam Ec-  
clesiam in eucharistia reficit. Solent etiam  
hic instituere collationem inter arborem  
vitæ & sacram cænam. Itemque convivium

Ahasveri & sacram cænam. Damascenus etiam carbonem ignitum Esa. 6. facit figuram eucharistiaꝝ ; quemadmodum enim carbo ignitus non est simplex carbo , sed carbo igni unitus : ita panis communionis sacræ, non est simplex panis , sed unitus corpori Christi ; in quo est divinitas per ~~τεργιχάρησιν~~.

7. Pi  antiquitas inter se confert unionem sacramentalem in cæna , & unionem personalem in Christo ; idque tribus de causis : idq; propter veritatem mysterii, convenientiam unionis , & similitudinem locutionis. Principio enim sicut in Christo sunt du  natur  divina & humana ; ita in eucharistia sunt du  res, terrena & e lestis. Rursus sicut du  natur  in Christo sunt unum in persona , ita in eucharistia res terrena & c lestis sunt unum in sacramento legitim  usurpato. Denique sicut propter unionem personalem, recte dicitur Deus & homo , & vicissim; ita propter unionem sacramentalem , recte dicitur, panis est corpus Christi, fractio panis est fractio corporis Christi &c. Recte itaq; noster Ursinus ait, sicut actiones extern  & visibiles in sacramento , sunt actiones & passiones intern  & invisibiles, ut fractio panis est fractio corporis Christi: sic etiam substantiae visibles , sunt substantiae invisibiles , ut panis est corpus Christi: quod utrumque in unione personali est cer-

cernere. Unde porro iam pater, an, & quatenus fractio panis pertineat ad essentiam cænæ,

8. Pia antiquitas etiam instituit collationem inter sacram cænam & resurrectionem nostram gloriosam; non propter commentitiam Papistarum reproductionem, sive reficationem corporis Christi, sed partim communiter, partim singulariter. Communiter, quatenus omnia sacramenta sunt signa resurrectionis gloriosæ. Nam circumcisio per imputationem præputii figurabat iustificationem & sanctificationē, cum qua necessariò cohæret glorificatio. Pascha significabat epulum gratiæ & gloriæ. Baptismus significat nos cum Christo sepeliri, & cum eodē resurgere ad vitam gratiæ & gloriæ. Sacra cæna significat nos cibari pane vitiæ, & potari aqua vitiæ. Singulariter sacra cæna nobis ob oculos ponit resurrectionem tribus modis. 1. Quia iubemur ibi mortem Domini annunciare donec veniat. 2. Quia hæc mensa non est graculorum sed aquilarum, quæ subvolant in cælum ad cadaver suum. 3. Quia est sacramentum communionis, quam habemus cum corpore CHRISTI, cum corpore ipsius, inquam, gemino, videlicet naturali, & mystico quod est Ecclesia.

9. Quemadmodum qui ad convivium nuptiale vel regale accedunt, ritè se præparant,

rant; ut digni sint convivæ; ita qui ad sacrā eucharistiam accedere instituunt, debent se probare, hoc est, examinare fidem vitamq; suam. Peccatur autem hīc duobus modis. Nam primō et si fideles sunt digni, tamen s̄a penumerō hoc mysterium nō dignē trātant, quia friget fides & devotio. Deindē hypocritæ, quia sunt indigni, sanguinem fœderis conculcant, contemnendo scilicet sacramentum & rem sacramenti. Opus itaque est ut hīc distinguas, inter indignam personam, & indignam tractationem, vel ut alii inter manductionem indignorum, & manductionem indignam. Nimirum ut filius familiæ est dignus convivio paterno, quia filius, & tamen potest indignē sumere convivium; ita in credentibus se res habet interdum.

---

## LOCVS XXVII. DE MISSA.

### I.

**S**acrificium missæ nititur transsubstan-  
tiatione, quam pontificii fundant in istis similitudinib; Primō, illa virtute verbi, quā Deus dixit, & omnia facta sunt; quā uxorem Loth in statuam salis mutavit, quā virgam Mōsis vertit in colubrum, & flumina ægypti in sanguinem, quā aquam mutavit in vinum Cananæum, Johan. 2. illā inquam virtute panis & vinum eucharistiæ, conver-  
tuntur in corpus & sanguinem Christi, con-

ver-

versione symbolica. *Deinde*, sicut Christus de quinque panibus quinque millia hominum satiavit, ita ut maiores manferint reliquiae, quam essent quinque panes; sic ipse potest Ecclesiam totam de corpore suo passere, absque sui detrimento. *Tertio*, sicut calor & splendor ignis, & odor rosae se omnibus communicant, & candela una multis candelis accendendis est satis: & sicut mulier Sareptana quotidie comedebat de farina & oleo, nec tamen diminuebatur farina vel oleum; & sicut una numero vox, vel idem numer ero sonus ad inumeros pervenit. Ita unum numero Christi corpus ab omnibus recipitur sacramentaliter. *Quarto*, sicut in speculo uno apparet imago unica, & fracto speculo, quo sunt partes speculi, tot sunt imagines integræ. Ita totum Christi corpus est in tota hostia, & cum illa frangitur, tota est in singulis hostiæ partibus. *Porrò*, sicut anima tota est in toto corpore, & tota in singulis partibus. Ita corpus Christi secundum esse sacramentale, est totum in pane, & totum in qualibet particula panis, secundum esse locale est in celo tantum. Et hoc esse locale separatur a corpore Christi, quia non est de essentia corporis. Nam occupatio loci est actus secundus qui potest separari. Deniq; sicut una numero essentia est in tribus personis trinitatis, ita unum corpus Christi est in qualibet sacramento.

*Respon-*

*Responsio petitur ex his regulis.*

1. In eucharistia non fit mutatio corporis & sanguinis Christi, sed symbolorum.
2. Mutatio sacramentalis non fit actione physica, sed fit actione morali, non verbo practico, sed concionali.
3. Transubstantatio alia est vera alia fictitia. Vera rursum est naturalis, ut cum panis vertitur in carnem & sanguinem hominis, vel lignum proiectum in aquam alicuius loci lapidescit: vel supernaturalis, ut cum Christus aquam transubstantiavit in vinum Joh. 2. In utraque hac transubstantiatione, prior substantia desinit, & nova incipit, sed in fictitia transubstantiatione missali tale quid non est.
4. Miraculum est corporale vel spirituale; & hoc posterius habet locum in eucharistia, non ratione unionis sacramentalis, sed ratione unionis & communionis spiritualis sive mysticæ, qua nos unimur & inferimur Christo.
5. Corpus Christi est in eucharistia non secundum presentiam dimensivam, sed secundum presentiam sacramentalem.
6. Esse sacramentale corporis Christi pendet non ab actione reproductiva vel additiva corporis alicuius invisibilis & illocalis, sed à promissione acceptata per veram fidem.
7. Substantia corporis Christi organicí male confertur cum qualitatibus, ut cum sono,

*Loci communes Theologici.* 159

sono, item cum speciebus intentionalibus,  
ut est imago in speculo.

8. Corpus Christi invisibile, illocale & in-  
divisibile, neque convenit cum mysterio  
unionis personalis, neque cum mysterio re-  
surrectionis carnis.

9. Actus secundus alias est necessarius, a-  
lius contingens.

10. Accidens quod in mundo existit, ne-  
cessariò inexistit; quia proprietates rei et si  
non pertinent ad essentiam, tamen perti-  
nent ad existentiam.

11. Anima rationalis est indivisibilis & p-  
inde nō occupat locum in corpore per mo-  
dum formæ: sed corpus Christi habet partē  
extra partem, & ideo non potest esse in pa-  
ne eucharistiae ut anima est in corpore.

12. Una numero essentia divina est in tri-  
bus personis, propter simplicitatem & im-  
menitatem, sed neutrum est in corpore  
Christi.

2. Misericors est pandora, in qua infinitæ ab-  
surditates & contradictiones reperiuntur.  
Est actio scenica & theatrica, seu comœdia,  
qua Judaismus postliminio revocatur. Est  
similis eleusiniis ethnikorum; est palladium  
magni antichristi; est cor, vallum & fossa,  
prora & puppis Ecclesiæ Romanæ, est ido-  
lum & numen plausibile; denique est cha-  
racter bestiæ.

3. Quemadmodum Apostolus ad Heb.

c.6.de

c. 6. de apostatis dicit illos denuo sibi cruci-  
figere, & ad ignominiam exponere filium  
Dei; ita missifices in suo sacrificio missifico  
hoc utrumq; faciunt. Nam non contenti sa-  
crificio Christi cruento, quod tamen omni-  
bus numeris est absolutum, denuò illud of-  
ferre conantur, & quidem ita, ut verè dici  
possint ipsum Christum παραδειγματίζειν,  
h.e. illum ludum facere, infamare, spectan-  
dum & tantum non irridendum proponere.

4. Quemadmodum sacerdotes in V.T.  
sacrificia Deo obtulerunt, ita & pastores N.  
T. idem faciunt, & quidem primo dum ver-  
bum Dei solent ἐρθωμένον inter gentes 2.  
Tim. 2.v.15. quomodo nempe sacerdotes V.  
T. viitimas ritè secabant. Deinde iidem ma-  
teriant sive offerunt Deo gentes Rom. 15.v.16.  
Ubi apostolus procul dubio respicit locum  
Malach. 1. ubi fit mentio oblationis mundæ  
inter gentes. Munda autem ista oblatio est  
quâ gentes convertuntur, cultro legis ma-  
teriantur, & odore Evangelii offeruntur Deo.  
Itaque conversio gentium, & fides in Chri-  
stū, sunt munda oblatio N.T. propria. Atq;  
hæc est oblatio gentium passiva, cum qua  
cohæret oblatio gentium activa, hoc est i-  
psarum fides, spes & charitas, & nominatim  
precatio.

5. Quemadmodum in V.T. fuerunt varia  
sacrificia eucharistica, ibi materialia & cor-  
poralia; hic spiritualia. Inter sacrificia N.T.  
est

est & cæna Domini, quæ tribus modis est verum sacrificium. 1. Quia in hoc mysterio fit commemoratio sacrificii Christi in cruce peræcti; cum qua coniuncta est gratiarum actio. 2. Quia in hoc ipso mysterio, siquidem à nobis vera cum fide celebretur, nos ipsos Deo offerimus & consecramus. 3. Quia fuit olim in more positum, ut cum fideles celebrarent eucharistiam, simul offerrent eleemosynas. Primum sacrificium est laudis ad Hebr. 12. Secundum est sacrificium fidei & vitæ. Rom. 12. Tertium est sacrificium charitatis Heb. 13. Hoc sensu veteres passim eucharistiam appellant sacrificium, item sacrificium honorarium, sacrificium incruentū; deniq; sacrificium impetratorium, & applicatorium. Nam in legitima eucharistiæ celebratione Deus verè à nobis honoratur; & sacrificium laudis eidē revera offertur, item varia beneficia ab eodem per preces & fidē in Christum, obtinentur seu impetrantur. Deniq; ita non solum repræsentatur sacrificium Christi cruentum, sed etiam nobis applicatur per veram fidem.

6. Quemadmodum in V.T. fuerunt altaria; ita etiam in Novo sunt, videlicet crux seu ara crucis Christi, & corda credentium, in quibus Christus offertur pveram fidem. Et si enim actus offerendi sive sacrificandi in cruce transit, tamen ipsa viætima, videlicet Jesus Christus, permanet in æternum, & à nobis

nobis Deo offertur, quando ipsius sacrificiū  
semel peractum nobis applicatur per fidem.  
Aliás in prima cæna, quam Christus Hiero-  
solymis in diversorio celebravit, nullū fuit  
altare. Itaq; sacra cæna non debet appellari  
sacramentum altaris, quod celebrari de-  
beat in altari, sed quia repræsentat altare  
crucis Christi per fractionem panis & effu-  
sionem vini.

7. Sicut omnis aetio legitima requirit  
normam sive canonem; ita & celebratio sa-  
crae cænæ. Illius autem canon antiquissim⁹,  
simplicissimus & optimus est ipsa institutio  
Christi, prout describitur à tribus Evangelii-  
stis & apostolo Paulo. Hunc canonem pri-  
mitiva Ecclesia satis diu olim usurpavit.  
Quod attinet ad Agenda variarum Ecclesia-  
rum, illa non sunt canon eucharistie, sed ex-  
plicatio ipsius canonis. Canon missæ neque  
canon est, neque Agenda. Et licet in hoc ca-  
none contineantur piæ collectæ, litaniae &  
similes preces, itemq; variæ psalmorum, év-  
angeliorum & epistolarum particulæ, tamē  
totum huius canonis systema sive corpus  
meritò reiicitur. Idq; partim pppter abusum  
verbi Dei, quod rapitur ad sacrificium ex-  
piatorium, partim pppter sententias super-  
stitiosas, idololatricas & antiphaticas.

8. Non quemadmodum Deus supplere  
potest vicem causæ efficientis & materię, ita  
quoque supplere potest vicem subiecti, ita  
nem-

nēpē ut ipse sustineat accidentia extra subiectum inhæsionis. Nam prius potest, quia id non pugnat cum natura rei, neq; cum natura Dei, sed posterius pugnat cum natura rei & Dei.

LOCVS XXVIII. DE MAGISTRA-TU POLITICO.

I.

**E**X scriptura illa mystica Daniel. 5. MENE MENE TEKEL U PHARSIN, deducuntur duæ istæ similitudines. *Primò*, Quemadmodum homines solent exactè numerare ea q; ad ipsorum officium pertinent, verbi gr. mercator nummos, pastor oves, dux milites; ita Deus exactissimè disponens omnia, numeravit omnia regna, id est, ipsorum initium, mediū, & finem, adeoq; certas periodos definivit. *Deinde* sicut homines explorare solent ponderando pretia & valorem rerum, & res leviores pondere reiiciunt, ceu iusto carentes pretio; ita Deus reges & regna in bilancem collocat, & quando comprehendit illa minus ponderis & valoris habere, quām requirit pondus divinæ iustitiæ & voluntatis, regnorum divisionem, translationem, & conculationem permittit & immittit. Huc pertinet vetus pictura quā sanctum Michaelem pinxerunt, tenentem manus suā stateram, appendebat ac pensitabat hic hominum animas. Ponderis ex opposito Satan coniungit, quem Michael gladio deii-

deiicit, ne animæ leviores inveniantur. Hoc tantum beneficium tribuendum est Christo, vero illi Michaeli, quippe qui per pretiosum sanguinem, meritum inquam & efficaciam suam, nobis iustum addit pretium & pondus, ne leves & vacui inveniamur.

2. Quemadmodum Rex habet suos reges & vasallos; ita Deus rex regum, habet suos his in terris vicarios, nempe magistratus, qui eam ob causam dii appellantur, item patres patriæ, pastores populi, uncti Jehovah, servi Dei, tutores afflictorum, procuratores boni publici. Adde alios titulos honorificos ex sacris literis. Ipsorum itaq; officiū est, recognoscere suum superiorem cui hemagium præstiterunt, & paterno affectu prosequi eos quibus præsunt, ita nempe ut ipsorum præesse sit aliis prædelle. Hoc autem efficient, si ob oculos sibi ponant istam boni Principis ideam. Currus regius boni principis est iustitia; eq; trahentes hunc curru sunt fortitudo & temperantia: deniq; comites individuę sunt clementia & maiestas.

3. Quemadmodum in abaco logistico unus idemq; calculus aliter & aliter transpositus, valet nihil, unum, decem, mille &c. ita homines, & in primis principes à Deo nunc exaltantur, nunc deprimuntur.

4. Arbor sub cuius umbra animalia degunt, & cuius fructibus eadem vescuntur, est sacrum hieroglyphicum boni principis.

Dan. 4.

Dan. 4. Radix istius arboris debet esse pie-tas, truncus prudentia; rami potentia; fru-ctus iustitia & clementia. Hæc quoq; pictu-ra subditos admonet officii iuxta versum,

*Arbor honoretur cuius nos umbra tuetur.*

5. Ex Dan. 7. Hæc similitudines deducun-tur. Mare typum habet mundi, quo nihil est instabili<sup>z</sup>, subinde mutans faciem. Quatuor venti qui hoc mare turbant, sunt p<sup>ro</sup>secutio-nes, turbæ, seditiones, bella. Ex hoc mari ita concitato prodeunt quatuor bestiæ, hoc est, totidem monarchiæ, & ipsarum propagines. Etsi enim omnis potestas est à Deo; tame<sup>n</sup>a quantum ad causas secundas, regna sunt terrena, & oriuntur ex principum turbis & præliis, & quia maior principum pars in re-gn<sup>is</sup> bestiarum instar vivit & s<sup>e</sup>vit, ideo re-gna assimilantur bestiis. Hinc unus idemq; princeps, dum ritè suo munere fungitur, servus Dei appellatur; & idem ille dum à tramite iustitiæ prævaricatur diaboli servus & Belial dici meretur.

6. Quemadmodum pélicanus sanguine suo conspergit & sanat pullos à serpente ad-morsos: ita bon<sup>z</sup> princeps sanguinem suum pro subditis fundere, nihil dubitabit aut re-cusabit, quando ita usus postulat.

7. Princeps debet habere duo brachia; uno iuvabit oppressos, altero puniet oppres-sores. Quo pertinet vetus pictura principis, u-nâ manu sceptrum, alterâ gladium gerentis.

H

8. In-

8. Innocentius Papa in iure Canonico dicit, potestatem Ecclesiasticam esse lumina-re maius, quod præst diei spiritualium: poli-ticam luminare minus quod præst nocti temporalium. Quæ similitudo si rectè ap-plicetur optimè quadrat. Sicut enim salus animæ, longo intervallo præcedit salutem corporis; ita qui immediate curant salutem animarum, multis modis præpollent iis, qui curant immediate salutem corporis. Verum enim verò hæc similitudo male accōmoda-tur à Canonistis, qui hac ratione Ecclesiasti-cos à iugo magistratus politici omnino ac simpliciter eximunt, omnemq; primatū in Ecclesia pontifici Romano vendicant, reie-cto primatu regio in Ecclesia ; quæ res per-plexa sanè, ex his expeditur maximis.

1. Ante legem potestas Ecclesiastica & po-litica erat penes principes familiarum , id est, penes Patriarchas ; illi enim fuerunt & patresfamilias, & reges, & sacerdotes.

2. Sub lege primò utraque potestas Eccle-siastica & politica erat penes Mosen. nam ut-dux politicus gubernavit populū; ut sacer-dos Dei extraordinarius , Aharonem ponti-ficem inauguravit. Deinceps ( si excipias unum Eli) hæ duę potestates fuerunt distin-ctæ usque ad Macchabæorum tempora, ubi in statu Ecclesiæ turbato , Maccabæi cæ-pe-runt esse & duces & pontifices, quæ conve-nient duravit usque ad Christum.

3. Sub

3. Sub gratia sive sub Evangelio hæ duæ potestates planè sunt separatæ, iuxta illud Christi , Reges gentium dominantur, vos autem non sic.

4. Actiones quædam Ecclesiasticæ in N. T. indifferenter pertinere possunt ad p̄fēt̄os Ecclesiæ & ipsos etiam principes: v.g. reformare religionem , vocare ministros, convocare synodū, in illa p̄fidere &c. Nam cum Ecclesia primitiva nondū haberet magistratum Christianum, hoc omne fecerunt Apostoli, ex quo autem nacta est nutritios suos, illi hæc eadem obière munia.

5. Potestas Ecclesiastica est triplex, videlicet ordinis, id est, officii , iurisdictionis interioris & iurisdictionis exterioris. Ad primā pertinet p̄dicare verbum & administrare sacramenta. Ad secundam ius dicere in foro conscientiæ, absolvendo & ligando. Ad tertiam ministros constituere, beneficia Ecclesiastica cōferre, synodū cōvocare, in ea p̄fidere, controversias dirimere , excōmunicare &c. Soli ministri, & nō magistratus habent potestatē ordinis & iurisdictionis interioris: potestas iurisdictionis exterioris habet quædam propria pastorum, ut excommunicationem, quædam indifferenter pertinentia ad pastores , Ecclesiam vel magistratum, ut convocare synodum, &c.

6. Primatus regius in Ecclesia consistit in eo , ut magistratus Christianus sit defen-

fœr fidei, custos utriusq; tabulæ decalogi, & reformato[r] religionis corruptæ: idq; exemplo Mosis, Josuæ, Gideonis, Samuelis, Davi-dis, Salomonis, Josaphati, Joasi, Ezechiæ, & Josiæ. Verum ita ut verbi divini administris utatur veluti oculis, atq; hoc unice agat, ut Moses & Aharon tanquam fratres germani maneant concordes in domo Dei. Itaq; cul-tum Dei ad normam scripturæ per ministre-rium Ecclesiasticum ritè constituat. Consti-tutum per iudicia Ecclesiastica purè inte-greq; conservet; corruptum depravatum ve-per idoneas personas reformet: disciplinam Ecclesiasticam approbet, & corruptā emen-det per pastores; synodum convocet.

7. Primatus Ecclesiasticus in Ecclesia con-sistit in dispensatione mysteriorum Dei.

8. Uterq; primatus in Ecclesia est tantùm ministerialis, & purè paſſivus, quia & Magi-stratus & pastor in Ecclesia, nil nisi alieno imperio, puta Christi præscribere debent.

---

**PARALIPOMENA SIMILITV-**  
**DINVM THEOLGICARVM.**

**PRIMVM PARALIPOMENON**  
*de gratia Dei.*

I.

**S**icut omnia flumina ex mari fluunt, & in mare refluunt, sic omnia Dei beneficia, ex gratia Dei in nos defluunt, & in illam re-fluunt. Derivantur autem ex hoc gratiæ oceanø

oceano in alios flumina , in alios rivuli hoc modo. Gratia Dei sese effundit in Adamum primum, in Adamum secundum, & in utriusq; Adami hæredes. Adam primus acceperat gratiam sufficientem quâ poterat superare tentationem quamlibet , si vellet, sed non acceperat excitantem ut vellet , quia nempe Deus concrediderat ipsi talentum, ut illo lucraretur aliud. Adam secundus, hoc est, Christus, ratione humanæ naturæ accepit gratiam unionis, & gratiam habitualem, eamq; citra mensuram ; ut ex ipso tanquam gratiarum divinarū thesaurario , nos omnes accipiamus gratiam pro gratia. Hæredes Adami primi tametsi sunt in miseriæ abyssum delapsi suâ culpâ ; non cessat tamen Deus illos afficere gratia, hoc est, variis donis gratuitis. Deniq; hæredes Adami secundi accipiunt in Christo gratiam peculiarēm, quâ resurgunt ex lapsu.

2. Typus ille nobilis Hose. 1. & 2. quo propheta Hoseas scortum duxit uxorem, & ex illa suscepit liberos, omnem gratiæ Dei naturam ob oculos nobis ponit, præeunte interpretationem Apostolo ad Rom. 9. hanc in sententiam. Regnum Israelis adeoq; tota Ecclesia catholica ratione termini à quo typicè confertur cum meretrice , quia Deus desponsavit sibi meretricem, quomodo Salomon duxit filiam Pharaonis gentilem. Deinde, uxor Hosæ appellatur Jomer, id

H 3 est

est integritas , ut doceat D E V S se totum Israelem , adeoq; totam Ecclesiam catholicam , sine exceptione , in sanctum coniugium adscivisse . Tertio , uxor illa fuit ex Biblaniis , id est , ex deserto immani & horrendo , ut demonstret Deus , se gratiosè Israelitas , atque etiam Ecclesiam catholicam ad dignitatem illam , sine ullo ipsorum merito evexisse . Quarto propheta suscepit tres liberos ex illa uxore , qui figurant tres aetates Ecclesiae Israeliticæ , & triplicem conditionem Ecclesiae catholicæ : Filius Jesreel quem propheta suscepit primo , notat apostasiam nostram in Adamo . Nam Jesreel notat dispersionem , sive separationem à Deo . Deinde filia Loammi , id est , non populus , notat statum miseriae qui sequitur apostasiam nostram . Tertio , altera filia Loruchama , id est non misericordia , exaggerat statum miseriae nostræ , quia adeò effecti sumus miseri , per nostram illam apostasiam , ut nulla misericordia occasio vel materia in nobis fuerit reliqua . Ex his efficitur , omnem Dei gratiam esse veram & meram gratiam , ita ut Leo Papa recte dicat , Gratia si non datur gratis , vel accipitur gratis , gratia non est . Hoc autem verum est de gratia Dei æterna & temporaria , de gratia gratis dante & gratum faciente , itemque de gratia gratis data ; de gratia interna & externa , de moyente & habi-

habituali ; de prima & secunda ; de præveniente & subsequente : de operante & cooperante : denique de gratia Dei positiva & privata , ut patebit ex sequentibus similitudinibus.

3. Sicut lapis per se non potest sursum moveri , & mortuus non potest se ipsum excitare ; & arbor cuius radix computruit, non potest ferre fructus ; ita homo se habet in statu peccati, absque gratia Dei præveniente , operante , gratum faciente , movente & prima . Nam iuxta Bernhardum, quærere Deum non potest anima , nisi præveniatur ut quærat , sicut docet parabola drachmæ & ovis perditæ Luc. 15. Atque hoc est quod Augustinus ait, Sola gratia discernit redemptos à perditis , quos in unum coacervat massa perditionis.

4. Ignis non calefacit ut ferveat, sed quia ferveret ; nec ideo movetur in orbem , ut sit rotundus, sed quia rotundus est : sic nemo propterea bene operatur , ut accipiat gratiam , sed quia accepit . Nam gratia ad hoc datur , ut natura liberetur , & gratia incipiens sine nobis operatur , ut velimus ; perficiens , cooperatur volentibus . Itaque sine illa nihil operante , cum volumus ad bona opera nihil valemus.

5. Quemadmodum amor in parentibus , præceptoribus , & opilionibus , facit ut illi præveniant , liberos , discipulos , & oves ,

H 4. &

& præveniendo subveniunt: ita Deus gratia sua nos preuenit, & nobis subvenit, tribuendo principium, medium, & finem salutis.

6. Sicut navis fracto gubernaculo illuc ducitur, quo tempes̄ta fertur; sic homo divinæ gratiæ auxilio perditus, per peccatum agit quod non vult, sed quod Diabolus auctor vult. Intellige gratiam gratis datam, & actualēm. Nam gratia gratum faciens & habitualis non perditur.

7. Ut terra non germinat, nisi benè culta pluvias suscepere, nec pluvia fructificat, sine terra bene culta. Sic nec gratia sine voluntate (reformanda vel reformata) aliquid operatur, nec voluntas sine gratia prodest.

8. Ut vas non impletur aqua fluminis vel putei, nisi inclinetur vel profundè mergatur: sic homo non impletur gratia habituali nisi humilietur. Humiliatur autem per gratiam prævenientem. Ita enim fit ut aquæ gratiarum descendant ad valles humilitatis, desertis montibus superbiorum.

9. Gratia est balsamum purissimum, & ideo requirit vas purum, solidum & profundum. Istud autem vas est cor lotum sanguine Christi; neque enim gratia cordi nostro infunditur, nisi prius à culpa fuerit purgatus. Itaque gratia privativa præcedit positivam, quomodo videmus herbas noxias & spinas prius evelli ex agro, quam triticum in eo seminetur. Et sicut homo sapiens pretiosum liquo-

liquorem non infundit in vas immundum, plenum, fractum, vel transversum; ita Deus cordi nostro per luxuriam inquinato, vento superbiae pleno, per discordiam fracto, & per avaritiam inclinato, gratiam ( scilicet positivam) non infundit.

10. Sicut auxilium quod parentes vel p̄ceptores præstant liberis & discipulis non excludit sed includit ipsorum officium ; ita gratia Dei , non excludit, sed includit nostrum quoq; officium. Nam Deus gratia sua nos ita prævenit, utin nobis operetur principia credendi & agendi, ut ita gratia adiuti ipsi cooperemur, atque sic duplizemus talentum acceptum. Dicendum ergo nobis est cum apostolo, Non ego autem, sed gratia Dei mecum.i. Cor.15.

11. Sicuti natura non admittit vacuum, sic gratia Dei in hominibus eleætis , implet illorum intellectum, voluntatem, affectū &c. Atq; ita similiis est patrifamilias , qui serit ut metat, & metit ubi non sevit.

12. Quemadmodum qui pignus vel arthram penes se habet, certus est de sorte, vel beneficio ; ita gratia nos reddit certos de gloria. Habemus enim pro gratia iustificationis gratiam glorificationis.

13. De gratia gratis data , cooperante, subsequente, habituali, externa, & positiva, recte usurpantur istæ similitudines. Si sol non intrat domum propter obstaculum fe-

H 5                   nestra,

174      *Ioh. Henr. Alsted.*

nestræ , aperi fenestram & sol intrabit domum tuam, eamq; illuminabit. Si candela sit madefacta, vellignum aquosum, non facile concipit ignem, secus si exsiccaveris. Ita lux & calor gratiae, non intrat cor hominis, propter obstaculum peccati , quod tollitur per gratiam prævenientem. Atq; hoc sensu sunt accipienda veterum dicta de obice, qui ponitur gratiae.

14. Non quemadmodum ille qui harenti in vortice aquarium porrigit unam manum, sed ipsum altera manu detrudit, neq; quemadmodum Tyberius, ut posset virgines Romanas pro suo lubitu strangulare, iussit eas prius constuprari per carnificem: sic quoque Deus offerendo hypocritis gratiam, neque tamen illam ipsis conferendo, illos ludificatur. Nam ille gratiam sufficiente illis offert. Hoc est omnia ordinaria media conversionis, q adhibet in regenerandis suis electis, adhibet quoq; in vocatione hypocitarum.

---

SECUNDVM PARALIPOME-  
NON DE ANTICHRISTO.

I.

**A**ntichristus alius est agnus, alius lupus. Ille est pseudochristianus Christum denegans, quem prædicare cernitur: hic est professus Christi hostis, vastans Ecclesiam, ut lupus vastat ovile, & aper vineam. In priori ordine rursus sunt vel multi Antichristi, puta

ta omnes hæretici, vel unus aliquis insignis  
1. Joh. 2. In posteriori excellit Mahomet.

2. Quemadmodum Rex Galliarum aut Hispaniarum politicè loquendo, nō est persona aliqua singularis, sed potestas sive caput continuâ successione continuatum; ita magnus Antichristus, nō est homo singularis, vel individuo unus, sed est unus regno, habens sub se universitatē, cuius ipse caput est, per longam successionis seriem, donec ipse conficiatur. Hoc ita patet. Apostolus 2. Thess. 2. docet suo tempore mysteriū ini-  
quitatis cœpisse. Itaq; iam tum fuit antichri-  
stus, & fuit tanquam embryo. Infantia eius  
cœpit tempore Constantini Magni, cuius  
liberalitate abusi fuerunt pontifices Roma-  
ni. Adolescentia huius antichristi est à  
confirmato primatu per Phocam. Nam ita  
est ut Gregorius magn⁹ Papa fatetur, *Quis-quis se universalem Episcopum vocat, vel  
vocari desiderat, in elatione sua Antichristū  
præcurrit.* Juventus & virile robur huius  
nostrī principis est à Pipino & Carolo Ma-  
gno Anno Christi 760. Ætas ingravescens  
incidit Anno 1400. tempore Hussi. Senectus  
ipsius est ab Anno 1517. *Quæ ipsa subdividi-  
tur in tres periodos.* Est enim senectus inci-  
dens illo quo diximus anno, est senectus vi-  
ridis, id est se ferre recolligens, hoc nostro tem-  
pore. est deniq; occidens, illo tempore, quo  
Roma ruet.

3. Ecclesia Antichristi quatuor habet typos, in Apocalypsi Sodomam, Ægyptum, Hierosolymam & Babylonem c. 17. Ipsius autem Antichristi typus Dan. II. est Antiochus Epiphanes. Evolutio istorum typorum est eiusmodi.

Roma, id est, Ecclesia Romana est Sodoma; quia ibi effusissimis habenis feruntur in omnem libidinem; & Loth, id est, paucii ibi degunt, & ipsius excidium subito & cælitus incidet.

Deinde est Ægyptus, quia filii Israel sunt abominationi Ægyptiis; & hæc Ægyptus est idolatriæ addictissima; & filii Israel in hac Ægypto premuntur, imò tantum non opprimuntur, sed tandem miraculosè liberantur.

Tertio est Hierosolyma, quia in Ecclesia Antichristiana, Dominus testium crucifigitur partim in missa, partim in membris suis; & excidium eius accidet eo tempore, quo urbs illa, erit instructissima exercitu, robore, commeatu.

Deniq; est Babylon, quia ibi est turris Babylonica, & ipsius imperium est amplissimum, & captivitas Babylonica ibidem fiet: Captivitas inquam conscientiarum. Huius illustre documentum est Dan. 3. ubi Nebucadnezar posuit idolum, quod qui adorare detrectarunt, coniecti sunt in fornacem Babyloniam. Hæc fornax in papatu est siccensia,

censa, ut vel ex hac una historia constat, ab anno Christi 1550. usque ad annum 1580. h.e. spatio triginta annorum, in Italia, Gallia, Anglia & Belgio, propter confessionem puræ religionis, imperfecta sunt octingenta quadraginta octo millia, quadringenta quinquaginta octo, hoc est novies fere centena millia Christianorum. quos inter fuerunt 39. principes, centum quadraginta octo Comites; ducenti triginta quinque Barones, centies quadragies septies mille quingenti & octodecim nobiles; septies centena milia, quingenta & octodecim de vulgo.

Sequitur Antiochus Epiphanes, qui hoc modo est typus Antichristi magni.

1. Antichristus facit pro voluntate sua, & nemo audet ipsi dicere, quare sic facis.
2. Extollit se supra Deum, taxando scripturas, imperando Angelis & Daemonibus, insultando regibus.
3. Prosperabitur, unde felicitas est nota ipsius Ecclesiae.
4. Non colit Deum maiorum suorum, id est, apostolorum, quia conficit novum Deum in missa, & sanctos afficit honore divino.
5. Non attendit amorem femininarum, id est, non curat coniugium, sed stabiliendo celibatum sancit amorem Sodomiticum & vagum.
6. Colit Deum auro, argento, & lapidibus pretiosis.

7. Cultores sui auget gloria & dignitate; evehendo illos ad illustrissimorum & reverendissimorum &c. apicem.

4. Antichristus orientalis, hoc est, Mahomet; & occidentalis, id est, Papa, graphicè depingitur Zach. 5. sub typo corrupti status in populo Dei, qui prophetæ repræsentatur gemina visione. Prima visio est voluminis seu epistolæ volantis per universam terram. Secunda est ephæ in quod proiecta fuit impietas, quodq; per duas mulieres in sublime est elatum. Volumen volans est pictura & imago falsæ doctrinæ, id est, traditionum humanarum, quæ per Mahometem & Papam disseminatæ sunt per totum mundum. Volumen hoc longitudine & latitudine, æquat atrium in templo Salomonis; quia traditiones æmulantur doctrinam Dei, sed æmulantur tantum. Effectum voluminis huius volantis est exsecratio, quæ procedit in totam terram. Ephæ significat similiter impiam doctrinam, domi intritam, intra templi parietes coctam, & in compitis re-coctam. Sicut enim ephæ, erat peculiaris mensura, sed hoc loco vacua: ita Mahometismus & Papismus, certa mensura, ritu & ordine constant, verum ita ut mera ibi sit inanitas. Porro duæ mulieres, præditæ alis ciconiarum elevant istud ephæ, & istarum mulierum alæ ventis impelluntur, ita quidē ut transferant suum ephæ in terram Sinear, hoc

hoc est, Babylonem, ibiq; domum sibi ædificent. Nam Papa & Mahomet sub prætextu religionis & pietatis, cuius symbolum est ciconia, fatalem massam in epha reclusam, disperserunt per totum mundum, ibiq; invenerunt multos amasios ad instar mulierū, & simul doctrinam illam suam fucarunt, illicq; ædificarunt domum; verū nil nisi Babylonem extruxerunt. Sed, inquis, unde constare potest, hunc typum ab Israelitis & Judæis rectè transferri ad Mahometem & Papam?

Resp. Quia uterq; hypotheses suas ex epha Judæorum de promiserunt, ut patebit conferenti ceremonias Judaïsmi, Mahometismi & Papismi.

5. Sicut Philistæi sunt imago Turcæ; sic Pharisei Papæ. Hac autem de re insignis est locus Matth. 23. Ubi Christus Phariseos primò commendat, deinde illos criminatur, & denique exitium ipsis minatur. Laus est in eo, quod dicit eos sedere in cathedra Mosis, & ex illa concionari: sic papistæ sedent in cathedra Christi. Criminatio constat membris duodecim. 1. Pharisei dicunt & non faciunt. 2. Imponunt onera portatu difficilia, sed ea non portant. 3. Omnia opera sua faciunt ut spectentur ab hominibus. 4. Appetunt vocari Rabbi, Patres, & Magistri. 5. Claudunt aliis regnum cælorum & ipsi non intrant. 6. Devorant domos viduarum sub specie religio-

ligionis. 7. Circumeunt mare & terram, ut lucentur unum proselytum. 8. Perperam docent de iure iuramento. 9. Excolant culicem & deglutiunt camelum. 10. Purgant patinas, nihil solliciti de purgatione cordis. 11. Sunt sepulcra dealbata. 12. Ornant monumenta martyrum, & interim faciunt martyrem. Quæ omnia in Pharisæis nostri temporis est invenire.

Comminatio exitii est, quod Christus osties denunciat Væ Pharisæis, & tandem concludit hoc epiphthegmate, quod domus ipsorum deserta relinquetur. Ita tota religio papistarum destruetur.

6. Non sicut Magistratus appellantur Dii, & Moses dicitur Pharaoni Deus, ita quoque Papa potest appellari Deus, aut vice Deus. Nam Magistratus appellantur Dii, quia ius gladii à Deo habent, & Moses administravit iudicia Dei in Israele. At Papa se appellat Deum eo modo quo Antichristus 2. Thess. 2. Nam Papa præfert se esse Deum, imò se præfert Deo, quando,

1. Sibi arrogat titulos & opera Dei, & Christi; ut quod sit sponsus Ecclesiæ, quod polletat omnipotentia, quod possit ex nihilo facere aliquid, quod possit creaturas mutare, & sit liberimum agens, &c.

2. Se infinito intervallo præponit imperatoribus, regibus & principibus.

3. Com-

3. Constituit & destituit imperatores, reges, & principes.
4. Se & suos sacerdotes docet creare Deum in missa.
5. Sacra scripturam contendit valere tantum quantum ipse vult.
6. Canonizat sanctos pro suo libitu.
7. Sicut in physicis corruptio unius est generatio alterius: ita postquam Romæ defierunt esse imperatores, Papa hoc axiomā ad se rapuit; id quod prædictum Paulus 2. Thess. 2.
8. Quemadmodum ova basilisci lentè excluduntur; ita magnus Antichristus pedentim crevit 2. Thess. 2. Nam mysterium iniquitatis, hoc est doctrina & dominatio Antichristi occulte serpuit & subrepuit; & eadem velatur nomine Ecclesiæ catholicæ, & doctrina est tota mystica; & deniq; iniquitas hæc est occulta, alta, & omnibus numeris absoluta. Et hinc Apostolus ait, dominiū huius Antichristi esse plenum fraude iniustitiae, hoc est, sophistificatione & imposturis, quæ sunt manifestæ in falsandis autoribus, in reliquiis, in revelationibus, in constitutis sanctis, & deniq; in falsis miraculis, quæ adeò amant nostri Papistæ, ut gloriam miraculorum constituant notam Ecclesiæ suæ.
9. Duæ bestiæ describuntur Apocal. 3. è quibus prima est vetus & ethnica Roma. Secunda & rediviva, est Roma Christiana degenerans, hoc est, Antichristiana. quia hæc secun-

secunda ascendit ex terra, hoc est, ex obscuris & sordidis initiiis pervenit ad supremum culmen maiestatis. Habet duo cornua similia agno, hoc est ius utriusq; gladii. Loquitur ut Draco, hoc est, docet doctrinas Dæmoniorum. Exercet omnem potestatem prioris bestie, hoc est, usurpat potestatem veterum imperatorum. Facit ut incolæ terræ adorent priorem bestiam, sed in imagine tantum; quia Papa coronat imperatores Romanos, qui titulo tantum sunt Romani. Denique facit ut homines accipiant characterem in manu dextra sua, aut in frontibus suis, ut ne quis possit emere aut vendere, nisi qui habet characterem, aut nomen bestie, aut numerum nominis eius. Numerus autem ille in his tribus est. In nomine Hebraico נִמְרָא, Græco λατελός, & denique Latina illa sententia catholicus notatur cruce & charactere. Quod ita facimus planum. Ipsi Papistæ suam Ecclesiam efferunt hoc titulo R O M A N A. Idem omnia illa sua sacra peragunt lingua Latina. Adhæc qui præfert titulum istū catholic⁹ Papistis est bonus Christianus; & verò hæc etiam est nota Ecclesiæ. Denique catholicus internoscitur charactere & cruce. De charactere ait concilium Tridentinum, in sacramento ordinis, sicut & in baptismo, & confirmatione character imprimitur, qui nec deleri, nec auferri potest. Adhæc, crux est matrix omnium.

mnium characterum. Deniq; Martinus V. Papa in concilio Constantiensi sanxit hunc canonem ; Qui non agnoscant Romanam sedem , nullum larem foveant , nulos contractus ineant ; aut negotiaciones , aut mercantias exerceant , aut aliqua humanitatis solatia cum Christi fidelibus habere permittantur.

10. Meretrix quæ describitur Apocal. 17. notat Romam antichristianam. Nam illa est mater scortationum, hoc est idolatriæ ; cum hac scortati sunt reges terræ , & ipsius vino inebriati sunt. Hæc est insignis purpura & coccino , tanquam signatura tyrannidis , quam exercuit in martyres. Hæc abundant lapidibus pretiosis. Nam Papa annuas intradas habet ducenties centena millia ducatorum.

---

PARALIPOMENON TER-  
TIVM  
DE CONCILIIS.

I.

**Q**uemadmodum gravamina provinciæ , regni & imperii ad diætam , id est , comitia provincialia vel universalia devolvuntur , ibiq; proponuntur & componuntur : Sic concilia legitima , sunt salutaria puritatis doctrinæ , & pacis Ecclesiæ tuendæ media . Concilia dico Apostolica & Ecclesiastica ; itemque particularia , & universalia five ce-  
cume-

cumenica , cuiusmodi apud Bellarminum sunt octodecim , apud alios octo , apud alios sex , apud alios deniq; quatuor . Sunt autem hæc concilia necessaria , non omnino , sed ex hypothesi commoditatis ; secus quam Bellarminus docet , qui contendit , concilia generalia quodammodo , particularia simpliciter necessaria esse , ad tuendam Ecclesiæ salutem .

2. Sicut Medici melius curant infirmos , si ipsi præsentes eos visitent , & partem male affectam tractent ; ita Episcopi , id est , pastores melius tollunt controversias , si ipsi conciliis intersint , quam si legatos suos mittant , id quod solenne est Papæ Romano , qui in conciliis præsidet per suos legatos .

3. Ut iudex debet arbitrium suum reformare iuxta regulas iuris ; ita concilium debet informare & reformare suam sententiam iuxta canonē scripturæ . Nam legitimus concilii anima est scriptura sacra . Cum enim illa sit vox consilii Dei , meritò in illam ultimo resolvitur sententia conciliorum , si quidem de fide esse debeat . Falsum itaque est , concilia tantum valere , quantum voluerit pontifex Romanus , magnus ille taxator scripturæ & concilii , & caput Ecclesiæ . De quo capite aliquis non immeritò usurpaverit fabulam de vulpe , quæ inspi- ciens caput larvæ ingeniosè fabrefactum , ait , ô quale hoc caput cerebrum nō habens .

4. Sal

4. Sal si infatuatum fuerit nulli inservit usui nisi ut foras mittatur. Ita si Papa aliusve Episcopus, sit incorrigibilis, deponi debet à concilio. Neque valet similitudo Bellarmini, Præstat caput ægrum habere quam abscindere. Nam in corpore mystico verum caput, id est Christus, non potest male habere; & quod attinet ad pastores, uno capite abscesso potest aliud inveniri.

5. Non ut in humanis iudiciis ex suffragiorum numero sententiam metimur, ita in conciliis fieri oportet. Nam in his deciso non fit iuxta suffragiorum pluralitatem, sed iuxta normam verbi Dei.

6. In exemplo concilii Apostolici Act. 15. ceu in idea & clarissimo speculo, concilii legitimi formam contemplari oportet. Huic addantur tria reliqua concilia Apostolica itidem in Actis puta cap. 1. cap. 6. & 21.


7. Concilium Tridentinum est acroterium turris Babylonicae ( sive mysterii iniquitatis ) seu acropolis Babylonis apocalypticæ, & iuxta multorum sententiam est phiala illa secunda Apoc. 16. quæ mare vertit in sanguinem; quo denotatur corruptela verbi Dei. Hoc enim concilium Papistis est norma verbi Dei, hoc est, ipsius corruptela; & simul est onus sive laqueus  
con-

186 Ioh. Henr. Alst. Loci communes Theolog.  
conscientiæ , maximorum medioxumō-  
rum & minimorum in Papatu. Qui o-  
mnes in praxi & executione , huius  
concilii, absque intermissione  
allaborant.

\*\*

F I N I S.







359412

359412



86,

V017 12



# Farbkarte #13

B.I.G.

Black  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
Centimetres  
Inches

